This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

15
8.26

Lp 15.8.26

Harvard College Library

PERSIUS COLLECTION

GIFT OF

MORRIS HICKY MORGAN

(Class of 1881)

PROFESSOR OF CLASSICAL PHILOLOGY

JANUARY, 1910

A. PERSII FLACCI

SATIRAE SEX.

A. PERSII FLACCI

SATIRAE SEX.

No 408

*408. LEIPSIC, 1826. Ed. Weber.

A. Persii Flacci Satirae Sex recensuit et annotationem criticam et exegeticam addidit Ernestus Guilielmus Weber Weissenseeas. Lipsiae sumptibus et typis B. G. Teubneri MDCCCXXVI. 8°. ff. (3) + pp. xii + 74. *M, HCL.*

The three ff. with which my copy (uncut and in the original paper covers) begins, contain Teubner's announcement of his well known series of the Greek and Latin authors, dated November, 1825.

from E. P. Morris

BERICHT.

Dem gelehrten Publicum ist aus frühern Ankündigungen bereits zur Gnüge bekannt, dass ich in Verbindung mit mehrern namhaften Gelehrten eine neue Ausgabe der vorzüglichsten griechischen und römischen Schriftsteller zu veranstalten angefangen habe. Dieses Unternehmen hat auch schon den Beifall sachverständiger Männer, die ihr Urtheil darüber in öffentlichen Blättern (z. B. im *Allgem. Repertorium* 1824. *No. I. Bd. I. erstes Heft. No. II. Bd. I. zweites Heft. No. IX. Bd. II. drittes Heft.* 1825. *No. I. Bd. I. erstes Heft; No. VI. Bd. I. sechstes Heft;* in der *Jenaischen Allg. Lit. Zeit.* 1824. *No.* 195., in *Seebode's neuer kritischer Bibl. für das Schul- u. Unterrichtswesen No.* 10. *Jahrg.* 6. *Daselbst No.* 6. 7 *u.* 9. *Jahrg.* 7.; in der *Leipziger Literat. Zeitung* 1825. *No.* 28. 29. 30. 161 u. 197., im *pädagogisch-philolog. Literat. Blatte der allgem. Schulzeitung* 1825. *No.* 6. u. 7., und anderwärts) ausgesprochen haben, in einem seltenen Grade gefunden. Alle stimmen darin überein, dass die aus meiner Presse bis jetzt hervorgegangenen Ausgaben griechischer und römischer Klassiker durch möglichst berichtigten Text, schätzbare kritische Noten, strenge Correctheit, so wie durch reinen, geschmackvollen Druck und sehr billige Preise sich auszeichnen. Indem ich sowohl diese günstigen Urtheile, als die mir zu Theil gewordene Unterstützung von Seiten des Publicums mit dem lebhaftesten Danke anerkenne, versichere ich zugleich, dass ich mich fortwährend bestreben werde, das Unternehmen in immer grösserer Vollkommenheit auszuführen; und ich darf diess um so mehr versichern, da es mir gelungen ist, nach und nach die Mitwirkung folgender Männer für die Sache zu gewinnen:

Hr. Dr. Baumgarten-Crusius, Conrect. an der Kreuzschule in Dresden.
— Dr. Beier, Prof. in Leipzig.
— Dr. Daehne, Lehrer an der Stiftsschule in Zeitz.
— Ludwig Dindorf in Leipzig.
— Wilh. Dindorf in Leipzig.
— Dr. Gernhard, Consist. Rath u. Director. d. Gymnasiums in Weimar.
— Dr. Hoffmann, Adj. an der Landesschule in Grimma.
— Dr. Jahn, Adjunct an der Landesschule in Grimma.
— Dr. Kiessling, Prof. u. Rector an der Stiftsschule in Zeitz.
— Dr. Kreyssig, Professor an der Landesschule in Meissen.
Hr. Dr. Lindemann, Prof. und Rect. an d. Schule in Zittau.
— Dr. Matthiae, Kirchenr. u. Dir. d. Gymn. in Altenburg.
— Dr. Meineke, Director des Gymnasiums in Danzig.
— Dr. Passow, Prof. in Breslau.
— Dr. Reinhardt, Rector an der Schule in Saalfeld.
— Dr. Reisig, Prof. in Halle.
— Dr. Schäfer, Prof. in Leipzig.
— Dr. Sillig in Dresden.
— Dr. Spitzner, Director des Gymnasiums in Wittenberg.
— Dr. Weber, Professor des Gymnasiums in Weimar.
— Dr. Weichert, erster Professor und Rector der Landesschule in Grimma.

Von diesen gelehrten und thätigen Männern bearbeitet sind bis jetzt folgende Klassiker erschienen:

I. Griechische Autoren.

Aeschinis Orationes. Cum brevi annotatione critica edidit *Guil. Dindorfius.* Charta impr. 10 gr. Charta angl. 16 gr.

Aristophanis Comoediae, ad optimorum librorum fidem cum brevi annotatione critica edidit *Guil. Dindorfius.* II. Vol. Charta impr. 2 Rthlr. Charta angl. 3 Rthlr.

Corpus scriptorum eroticorum Graecorum. Edidit *Franc. Passow.* Vol. I. *Parthenii erotica.* Accesserunt Antonii Diogenis et Iamblichi excerpta.
Charta impr. 8 gr. Charta angl. 14 gr.

Corpus scriptorum eroticorum Graecorum. Vol. II. *Xenophontis Ephesii Anthiae et Habrocome Ephesiacorum* libri V. Recensuit et annotatione critica instruxit *Franciscus Passow.* Charta impr. 10 gr. Charta angl. 18 gr.

Demosthenis Orationes. Edidit *Guil. Dindorfius.* III Voll.
Charta impr. 2 Rthlr. 20 gr. Charta angl. 4 Rthlr. 6 gr.

Dionysii orbis terrarum descriptio. Recensuit et annotatione critica instruxit *Franc. Passow.* Accessit tabula geographica lapidi inscripta.
Charta impr. 10 gr. Charta angl. 18 gr.

Euripidis Fabulae. Cum annotationibus *Ludovici Dindorfii.* II Voll. Charta impr. 2 Rthlr. 4 gr.
Charta angl. 3 Rthlr. 8 gr.

Herodoti Musae. Cum brevi annotatione critica edidit *Aug. Matthiae.* II Tomi.
Charta impr. 2 Rthlr. Charta angl. 2 Rthlr. 21 gr.

Hesiodus. Cum brevi annotatione critica edidit *Ludov. Dindorfius.* Charta impr. 6 gr. Charta angl. 10 gr.

Homeri Carmina ad optimorum librorum fidem expressa curante *Guil. Dindorfio.* Vol. I. Ilias.
Charta impr. 18 gr. Charta angl. 1 Rthlr. 8 gr.

Homeri Carmina ad optimorum librorum fidem expressa curante *Guil. Dindorfio.* Vol. II. Odyssea.
Charta impr. 18 gr. Charta angl. 1 Rthlr. 8 gr.

Isocratis Orationes. Cum brevi annotatione critica edidit *Guil. Dindorfius.* Charta impr. 1 Rthlr. 16 gr.
Charta angl. 2 Rthlr. 6 gr.

Isocratis Panegyricus. Cum brevi annotatione critica edidit *Gustav. Pinzgerus.* Charta impr. 5 gr. Charta angl. 8 gr.

Plutarchi Vitae. Curavit *Godof. Henr. Schaefer.* Vol. I.
Charta impr. 1 Rthlr. 6 gr. Charta angl. 1 Rthlr. 22 gr.

Sophoclis Tragoediae. Cum brevi annotatione critica edidit *Guil. Dindorfius.* Accesserunt trium MSS. lectiones.
Charta impr. 1 Rthlr. Charta angl. 1 Rthlr. 18 gr.

Theocriti, Bionis et Moschi Carmina. Edidit *Aug. Meineke.* Accedit brevis annotatio critica.
Charta impr. 10 gr. Charta angl. 16 gr.

Thucydidis de bello Peloponnesiaco libri octo. Cum brevi annotatione critica edidit *Ludovicus Dindorfius.*
Charta impr. 1 Rthlr. Charta angl. 1 Rthlr. 20 gr.

Xenophontis Expeditio Cyri. Cum brevi annotatione critica edidit *Ludovicus Dindorfius.*
Charta impr. 10 gr. Charta angl. 16 gr.

Xenophontis Historia Graeca. Cum brevi annotatione critica et Ms. Victoriani varietatibus edidit *Ludovicus Dindorfius.* Charta impr. 12 gr. Charta angl. 18 gr.

Xenophontis Institutio Cyri. Cum brevi annotatione critica edidit *Ludovicus Dindorfius.*
Charta impr. 12 gr. Charta angl. 18 gr.

Xenophontis Memorabilia. Cum Ms. Victoriani varietatibus edidit *Guil. Dindorfius.*
Charta impr. 8 gr. Charta angl. 14 gr.

Xenophontis Scripta minora. Cum brevi annotatione critica edidit *Ludovicus Dindorfius.*
Charta impr. 12 gr. Charta angl. 18 gr.

II. Römische Autoren.

C. Iulii Caesaris Commentarii de bello gallico et civili accedunt libri de bello Alexandrino Africano et Hispaniensi, e Recensione Francisci Oudendorpii. Textum passim refinxit annotationem criticam adiecit *I. C. Daehne.* Charta impr. 18 gr. Charta angl. 1 Rthlr. 6 gr.

Eutropii Breviarium historiae Romanae. Editionem curavit *Detl. C. G. Baumgarten-Crusius.*
Charta impr. 3 gr. Charta angl. 6 gr.

Q. Horatii Flacci Opera omnia. Ad optimorum librorum fidem recensuit et annotationibus instruxit *I. C. Iahn.*
Charta impr. 10 gr. Charta angl. 16 gr.

T. Livii Patavini Historiarum libri qui supersunt omnes, et deperditorum fragmenta. Editionem curavit, brevem annotationem criticam adiecit *Detl. C. G. Baumgarten-Crusius.* Tom. I. Lib. I—X. continens.
Charta impr. 16 gr. Charta angl. 1 Rthlr.

P. Ovidii Nasonis Opera omnia. Editionem curavit, brevem annotationem criticam adiecit *Detl. C. G. Baumgarten-Crusius.* Tom. I. Charta impr. 10 gr. Charta angl. 16 gr.
— — Tom. II. Charta impr. 10 gr. Charta angl. 16 gr.
— — Tom. III. Charta impr. 12 gr. Charta angl. 18 gr.

A. Persii Flacci Satirae VI. Cum brevi annotatione edidit *E. G. Weber.* Charta impr. 6 gr. Charta angl. 10 gr.

P. Virgilii Maronis Opera omnia. Ad optimorum librorum fidem recensuit et in usum scholarum edidit *I. C. Iahn*. Charta impr. 18 gr. Charta angl. 1 Rthlr. 6 gr.

☞ Das Unternehmen wird übrigens so rasch fortschreiten, als es die auf die Ausgabe jedes einzelnen Autors zu verwendende Sorgfalt nur immerhin erlaubt, und ich werde desfalls allen billigen Wünschen der Interessenten auf das Bereitwilligste entgegen kommen.

Unter der Presse befinden sich:

A. Griechische Autoren.

Aeschyli Tragoediae. — Corpus scriptorum eroticorum Graecorum. Vol. III. — Homeri Hymni. — Platonis Opera. — Plutarchi Vitae. Vol. II - IV.

B. Römische Autoren.

M. Tullii Ciceronis de oratore ad Quintum fratrem libri tres. Brutus s. de claris oratoribus. Orator ad M. Brutum. Topica ad Trebatium. Partitiones oratoriae. De optumo genere oratorum. Cura *Caroli Beteri.*

Q. Curtius Rufus. Recensuit et annotationibus instruxit *C. A. Kreyssig.*

D. Iunii Iuvenalis Satirae XVI. Recensuit et annotationibus instruxit *E. G. Weber.*

T. Livii Patavini Opera. Cum brevi annotatione critica edidit *Detl. C. G. Baumgarten-Crusius.* Tom. II et III.

M. Annaei Lucani Pharsalia. Ad opt. libr. fidem recensuit et brevi annotatione critica instruxit *Iulius Sillig.*

M. Fabii Quinctiliani Institutionum oratoriarum libri XII. Cum brevi annotatione edidit *A. G. Gernhard.*

Silii Italici quae supersunt. Cum brevi annotatione edidit *Aug. Weichert.*

P. Terentii Carthaginiensis Afri Comoedias, ad fidem optimarum editionum recognitas, commentario critico - exegetico in difficillimis locis illustratas, una cum disquisitione de arte et ratione Comici edidit *Fr. Reinhardt.*

Tibulli, Albii, Carmina emendatius edita ab *Carolo Reisigio Thuringo.*

Leipzig, im Nov. 1825.

B. G. Teubner.

V E N D U N T

BRUXELLIS
J. F R A N K.

FLORENTIAE
GUILIELMUS PIATTI.

HAMBURGI
I. G. HEROLDUS IUNIOR.

HANNOVERAE
BIBLIOPOLIUM REGIUM HAHNII.

LUGDUNI-BATAVORUM
H. W. HAZENBERGIUS IUNIOR.

LONDINI
BLACK, YOUNG & YOUNG.

VIENNAE
FRIDERICUS VOLKE.

A. PERSII FLACCI

SATIRAE SEX

RECENSUIT ET ANNOTATIONEM
CRITICAM ET EXEGETICAM

ADDIDIT

ERNESTUS GUILIELMUS WEBER
WEISSENSEEAS.

LIPSIAE
SUMPTIBUS ET TYPIS B. G. TEUBNERI
MDCCCXXVI.

Lp 15.8.26

Harvard College Library
Gift of
Morris H. Morgan
Jan. 1, 1910

BOUND MAY 14 1914

PRÆFATIO.

Persius, e splendidissima ordinis equestris gente ortus, virginali specie ornatus et opibus ad lautissimam vitam necessariis instructus, postquam Volaterris in Etruria in sinu matris amabilis pueritiam transegerat, Romam, ut ibi liberalibus disciplinis vacaret, magna cum spe se contulit et gaudio, quod urbem, cuius egregiarum virtutum imaginem in solitudine animo conceperat, iam oculis suis intueri et admirari posset. Sed ubi erat prisca illa Romana magnitudo, ubi fortunata simplicitas, ubi celebrata patrum libertas! Urbs, quae adversus hostes semper steterat invicta, suis nunc vitiis victa iacebat. Opibus ac divitiis sublata frugalitas: a temperantia ad luxum, a continentia ad libidinem descitum, animi constantia et gravitas vili cesserat levitati: vitae morumque integritas remota, fides in servile submissa obsequium, illatum adulandi certamen, aliaque, quae ex his oriri solent, vitiorum genera. Nec tamen, ut Tacitus ait, adeo virtutum sterile seculum erat, ut non et bona exempla prodiderit. Iuvenis enim Persius, qui intactum a communi vitiorum contagione servaverat animum, praeter alios insignes viros invenit Paetum Thraseam, virum spectatae honestatis, intimaque eius usus est familiaritate. Sicuti ille stoicae philosophiae praeceptis addictus erat, ita etiam Persius eandem sequebatur, non casu aliquo fortuito in disciplinam Cornuti inductus, sed quod ipsa eum natura ad gravitatem, temperantiam, animi magni-

tudinem finxerat. Atque ea quidem, sententiarum saluberrimarum plenissima, animo eius perfugium ac solatium praebuit in tanta temporum tristitia, ut cum iis, quae mente recondidisset, praeceptis secure agere posset: sed, ut solent, qui vividioris et ardentioris ingenii sunt, quum semel aetatis suae indoli ex adverso consisteret, et maximo priscae Romanae virtutis desiderio teneretur, non potuit sibi temperare, quin indignationem et querelas de praesenti hominum nequitia in satiris eloqueretur, non ut tempora emendaret, verum ut sensa sua amicis, qui eiusdem erant animi, aperiret, et se ipsum cura et angore, qui pectus obsidebat, levaret, sibique tranquillitatem aliquo saltem modo in animum reduceret.

Quod si iam internam eius satirarum formam consideramus, observanda est sublimis, facile concitanda, tenera et subtilis sentiendi facultas; conspicuus ubique virtutis amor pristinaeque honestatis desiderium et pietatis sensus: modo apparet lugentis animi ardor, interdum sacer ille moeror, qui lectores tam mirifice afficit, modo iuvenilis fervor in iram exardet. Hinc eius loquendi modus grandior, concitatior abruptiorque optime explicatur.

Ac granditas orationis eius consistit in magnis et excelsis cogitatis et in sincera sensuum veritate: nusquam animadvertitur sola divini afflatus species, nusquam tumor inanis, sive ignis quidam nimis artificiose excitatus. In qua animi sublimitate ut se contineat, adiuvat eum potissimum illud, quod non singulos homines carpit et in eorum turpitudine notanda versatur, sed vitium et pravos mores, quos in uno alterove animadvertit, generatim et prudenter insectatur. Inde factum est, ut, nullis exemplorum vulgarium, quandoquidem ea ipsa mentem detrahunt ad humilitatem, limitibus inclusus, libere deferatur, et viva rerum humanarum, non quales sint, sed quales esse debeant, imagine excitatus id quod virtuti inimicum et contrarium est, vere poetica faculta-

vere studet, attentio et cura maxime laudanda est, quod praeter alios veteres scriptores iuventuti commendandos etiam Persii satiras in collectionem suam recipere constituit, ut iam deniqne mihi, editionem hanc paranti, nihil restet, nisi ut, quae sit a me servata ratio, quaeque subsidia adhibita, breviter explicem.

In textu Persii satirarum constituendo Casaubonum maximopere sequutus sum, ita tamen, ut non spernerem emendatiora, quae darent aut libri MSS. illo tempore nondum collati, aut iam collati quidem, et ad usum parati, sed in nonnullis imprudenter neglecti. Novis codicibus non usus sum, praeter Wimariensis et Chemnicensis collationes, quae a Cortio margini edit. Schrevelianae adscriptae servantur in bibliotheca Magno-Ducali. Chemnicensis altero peioris notae videtur esse. Accedunt Parisini libri MS. lectiones. Exemplaria vetustiora typis impressa praesto erant duo Veneta, unum A. 1499. die IV. m. Novemb., alterum Bartholomaei Veneti A. 1492. die XVII. Ianuar.: praeterea Lugdunense A. 1510, Coloniense 1538, illud Camilli Silvestri, quod iuxta versionem Italicam alia praeclara continet, Asterii Manlii Parmensis in satiram I et II commentarius, Murmellii et Tederici Ceruti paraphrases, quae, quamvis aliqua ex parte absurdae, tamen haud raro utilia praebent. Sed maximo mihi adiumento fuerunt Passovii et Orellii editiones: ac tanta sunt illius tamque praeclara in Persium merita, ut, etsi de una prima satira commentatus est, neminem tamen inveñerim, cuius in eundem maiora constare existimem. Nam ubi nos destituit docta et ampla eius interpretatio, sufficit saepenumero in eius locum accuratissima et elegantissima conversio, quamquam sic quoque cupiditate editionis a viro acutissimo perficiendae etiamnunc vehementer flagramus. Orellii annotationes breves quidem sunt, sed doctae in difficilioribus locis. Nonnunquam tamen eius auctoritatem, sicuti Passovii, deserere ausus sum. Praecipua autem Orellio gratia habenda est, quod cod. Turicensis lectiones et cognitam quidem alio-

rum, sed coniunctim nondum vulgatam, praeterea insignium editionum varietatem diligenter enotavit. Scilicet editionem Norimbergensem et Reizii praeclaram mihi parare non potuit nostra litteraria taberna, quippe quae venditandis maioribus libris malit gaudere, quam minoribus erubescere. Sed quid dicam de Achaintrii editione? Quo modo usus est in Iuvenali edendo, eundem transtulit in Persium. Etiam hic constat eum superstitiose suorum librorum auctoritatem intueri, maxime Casaubonum et quosdam alios consectari, et pauca tantum proferre, in quibus a suo ipsius iudicio pendeat. Nam quam parum sibi constet sententia, manifestum fit ex editione An. 1822, in qua illa omnia, quae probaverat antea, rursus relicta vides. Praeterea quae gravior libri pars est, lectiones e Parisinis codd. collectae, in iis excerpendis quantum fidei ei habendum sit, non liquet, etsi non dubium sit, quin nonnulla adeoque graviora annotare neglexerit. Alia quae usui erant, suo quaeque loco commemorata sunt.

Annotationes, quas adieci, maximam partem criticae sunt, sed quia, nisi sententia verborum prius constituta sit, crisis vix potest recte exerceri, plerumque etiam notae ad interpretationem pertinentes intercedunt. Quod ibi praecipue factum est, ubi codices variant, hac fere semper adhibita regula, ut quam ostendere possem scripturam esse ex grammaticis, metricis, aliisque praeceptis etiam poetae ingenio, sententiarum contextui et rebus maxime consentaneam, eam in textum reciperem, altera reiecta, etsi multorum codd. auctoritate et virorum doctorum approbatione confirmata. Plura, quae ab aliis interpretibus bene exposita mihi innotuerant, sic in meum usum transtuli, ut vel eorum annotationes repeterem, et interdum nova adderem, vel eas ab aliis improbatas defenderem, vel denique, quae ipsi mihi displicerent, impugnarem. Utilia sane et ad Persium melius cognoscendum accommodata subministravit censor Ienensis Orellii eclogarum N. 76 sqq. m. Apr. An. 1823: idem

eodem loco in censura Donnerianae Germanicae translationis N. 198 sq. m. Octobr. A. 1822: a cuius tamen interpretatione nonnunquam et fere ubique discessi, ubi aut rariorem scripturam introduxit, aut coniecturis, ab ipso excogitatis, locum dedit. Enimvero Persium, cuius difficultates a corrigendo abstinuerunt librarios, non licet coniecturis tentare, nisi ubi summa corruptelae evidentia sit, et aliquis ex codicibus ipsis accedat consensus. Quare inter censores Heidelbergenses An. 1814 alter K. F. pag. 1024 sqq. maximopere vituperandus est, quod ingenio nimis indulgens et novitatis specie allectus saepe vel sanissima mutavit, dum alter, littera Σ insignitus, vulgatae lectionis retinendae cupidior est et quae difficiliora sunt apte explicandis intentior. Invenies quoque animadversiones brevissimas, in quibus sola scripturam uni alterive praelatam approbantium auctoritas notatur. At Meisteri satir. IV interpretandi rationem copiosius redarguere studui, quod inde potest excusari, quod ille ipse singulas opinionis suae partes, si quis agere velit recte, gradatim refutandas dicit: in qua eius demonstratione non modo magnum eruditionis apparatum, sed multo magis ingenii acumen admiramur, quod tamen exemplum praebet simul luculentissimum, quomodo homo acutus, si opinionem falsam mente semel comprehenderit; in maximos errores ingeniose queat induci. Sed in reliquis eius ad Persium pertinentibus scriptis multi sunt loci, qui rectius, quam factum est antea, eius ope intelliguntur: multas difficultates animadvertis sublatas quum exquisita eius doctrina, tum iudicandi elegantia.

Denique, quia optandum est, ut etiam Persio paretur editio cum integra, quotquot notae sunt ex libris MSS. desumtae, variantium lectionum collectione, addidi in hunc usum trium codicum, Wimariensis, Chemnicensis et Parisini scripturas. Illae, quas iam supra commemoravi, partim iam evulgatae sunt a Passovio ad satiram primam, reliquae autem, quantum sciam, adhuc reconditae erant. Parisinum codicem n. 8055 iam Achaintrius

contulit; est undecimi seculi et dicitur Colbertinus primus: cuius varias lectiones ad Achaintrii editionem A. 1812 excerptas non iniucundum erit Persii amicis denuo communicatas iam ea de causa accipere, quod inde cognoscant, quam soleat Francogallus ille in copiis, quae praesto ei erant, adhibendis religiosus esse. Est autem hac in re mihi praedicanda maximopere egregia Roesii, Alstadiensis, viri optimi, erga me benevolentia, qui, quum Parisiis degeret, huius codicis scripturas quam fieri poterat accuratissime descripsit, mihique edendas concessit. Ipse propediem in lucem dabit vitam Bernhardi Magni, varietate rerum novarum ac tractatione amplissimam iuxta atque ornatissimam. Cui viro utinam, absoluta eius historica disquisitione, mox munus deferatur publicum, quod et animi eius votis satis respondeat, et locum praebeat aptissimum, ubi eruditionis copias et doctrinae elegantiam utiliter queat iuventuti expromere.

Ceterum adiecta est Persii vita, antiqua sane, sed in quibusdam rebus confusa, et sine dubio a pluribus scholiastis composita, de qua si plura prudenter disputata legere velis, conferas Baylii lexicon et Passovii editionem.

Iam valete, lectores, meisque conatibus favete.

A. PERSII FLACCI VITA.

Aulus Persius Flaccus natus est pridie Nonas Decembris, Fabio Persico, L. Vitellio Coss. Decessit VIII Kal. Decembr. Rubrio Mario, Asinio Gallo Coss. Natus in Etruria Volaterris, Eques Romanus, sanguine et affinitate primi ordinis viris coniunctus: decessit ad octavum milliarium, via Appia, in praediis suis. Pater eius Flaccus pupillum reliquit moriens, annorum fere sex. Fulvia Sisennia mater nupsit postea Fusio, Equiti Romano: et eum quoque extulit intra paucos annos. Studuit Flaccus usque ad annum XII Volaterris: inde Romae apud grammaticum Remnium Palaemonem, et apud rhetorem Verginium Flaccum. Quum esset annorum XVI, amicitia coepit uti Annaei Cornuti, ita ut ab eo nusquam discederet: a quo introductus aliquatenus in philosophiam est. Amicos habuit a prima adolescentia Caesium Bassum, et Calpurnium Staturam, qui eo vivo iuvenis decessit. Coluit ut patrem Servilium Nonianum. Per Cornutum cognovit Annaeum etiam Lucanum, aequaevum auditorem Cornuti. Nam Cornutus, illo tempore, tragicus fuit, sectae stoicae, qui libros philosophiae reliquit. Sed Lucanus adeo mirabatur scripta Flacci, ut vix retineret se illo recitante a clamore, quin illa esse vera poemata diceret. Sero cognovit Senecam, sed non ut caperetur eius ingenio. Usus est apud Cornutum duorum convictu doctissimorum et sanctissimorum virorum, acriter tum philosophantium, Cl. Agaterni medici Lacedaemonii, et Petronii Aristocratis Magnetis, quos unice

miratus est et aemulatus, quum aequales essent, et Cornuto minores. Ipse etiam decem fere annis summe dilectus apud Thraseam est, ita ut peregrinaretur quoque cum eo aliquando, cognatam eius Arriam uxorem habente. Fuit morum lenissimorum, verecundiae virginalis, formae pulchrae, pietatis erga matrem et sororem et amitam exemplo sufficientis. Fuit frugi et pudicus. Reliquit circa IIS XX matri et sorori: scriptis ad matrem codicillis, rogavit eam, ut daret Cornuto sestertia, ut quidam dicunt, centum, ut alii volunt, argenti facti pondera viginti, et libros DCC, sive bibliothecam suam omnem. Verum Cornutus, sublatis libris, pecuniam sororibus, quas frater heredes fecerat, reliquit. Et raro, et tarde scripsit. Hunc ipsum librum imperfectum reliquit: versus aliqui dempti sunt in ultimo libri; et, quasi finitus esset, leviter recitavit Cornuto: et Caesio Basso petenti, ut ipse ederet, tradidit edendum. Scripserat etiam in pueritia Flaccus Praetextam, et ὁδοιπορικῶν librum unum, et paucos in sororem Thraseae Arriae matrem versus, quae se ante virum occiderat. Omnia autem Cornutus auctor fuit matri eius, ut aboleret. Editum librum continuo mirari homines, et derípere coeperunt. Decessit autem vitio stomachi, anno aetatis XXX. Sed mox ut a schola et magistris deverterat, lecto libro Lucilii decimo, vehementer satiras componere studuit: cuius libri principium imitatus est, sibi primo, mox omnibus detrectaturus, cum tanta recentium poetarum et oratorum insectatione, ut etiam Neronem culpaverit: cuius versus in Neronem quum ita se haberet,

Auriculas asini Mida rex habet,

in hunc modum a Cornuto ipso tantummodo est emendatus,

Auriculas asini quis non habet?

ne hoc Nero in se dictum arbitraretur.

AULI PERSII FLACCI

SATIRAE.

AULI PERSII FLACCI
SATIRAE.

PROLOGUS.

Nec fonte labra prolui caballino,
Nec in bicipiti somniasse Parnasso
Memini, ut repente sic poeta prodirem.
Heliconiadasque pallidamque Pirenen
Illis remitto, quorum imagines lambunt
Hederae sequaces: ipse semipaganus
Ad sacra vatum carmen affero nostrum.
Quis expedivit psittaco suum χαῖρε,
Picasque docuit verba nostra conari?
Magister artis ingenique largitor
Venter, negatas artifex sequi voces.
Quod si dolosi spes refulserit nummi,
Corvos poetas et poetrias picas
Cantare credas Pegasium nectar.

SATIRA I.

O curas hominum! o quantum est in rebus inane!
Quis leget haec? Min' tu istud ais? Nemo hercule. Nemo?
Vel duo, vel nemo. Turpe et miserabile. — Quare?
Ne mihi Polydamas, et Troïades Labeonem
Praetulerint? Nugae! Non, si quid turbida Roma
Elevet, accedas: examenque improbum in illa
Castiges trutina, nec te quaesiveris extra.
Nam Romae est quis non? Ah, si fas dicere! sed fas
Tunc, quum ad canitiem, et nostrum istud vivere triste
Adspexi, ac nucibus facimus quaecunque relictis,
Quum sapimus patruos: tunc, tunc, ignoscite. Nolo.
Quid faciam? Sed sum petulanti splene cachinno.
Scribimus inclusi, numeros ille, hic pede liber,
Grande aliquid, quod pulmo animae praelargus anhelet.
Scilicet haec populo, pexusque togaque recenti,
Et natalitia tandem cum sardonyche albus,
Sede legens celsa, liquido quum plasmate guttur
Mobile collueris, patranti fractus ocello:
Heic neque more probo videas, neque voce serena
Ingentes trepidare Titos, quum carmina lumbum
Intrant, et tremulo scalpuntur ubi intima versu.
Tun', vetule, auriculis alienis colligis escas?
Auriculis, quibus et dicas cute perditus, ohe!
Quid didicisse, nisi hoc fermentum, et quae semel intus

Innata est, rupto iecore exierit caprificus?
En pallor, seniumque! o mores! usque adeone
Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter?
At pulchrum est digito monstrari, et dicier, hic est!
Ten' cirratorum centum dictata fuisse
Pro nihilo pendas? Ecce inter pocula quaerunt
Romulidae saturi, quid dia poemata narrent.
Heic aliquis, cui circum humeros hyacinthina laena est,
Rancidulum quiddam balba de nare locutus,
Phyllidas, Hypsipylas, vatum et plorabile si quid,
Eliquat, ac tenero supplantat verba palato.
Assensere viri. Nunc non cinis ille poetae
Felix? Non levior cippus nunc imprimit ossa?
Laudant convivae. Nunc non e manibus illis,
Nunc non e tumulo, fortunataque favilla
Nascentur violae? Rides, ait, et nimis uncis
Naribus indulges. An erit, qui velle recuset
Os populi meruisse, et, cedro digna locutus,
Linquere nec scombros metuentia carmina, nec thus?
Quisquis es, o modo quem ex adverso dicere feci,
Non ego, quum scribo, si forte quid aptius exit, —
Quando hace rara avis est, — si quid tamen aptius exit,
Laudari metuam: neque enim mihi cornea fibra est:
Sed recti finemque extremumque esse recuso
Euge tuum, et *belle*; nam belle hoc excute totum:
Quid non istus habet? Non heic est Ilias Acci
Ebria veratro? non si qua elegidia crudi
Dictarunt proceres? non quicquid denique lectis
Scribitur in citreis? — Calidum scis ponere sumen:
Scis comitem horridulum trita donare lacerna,

Et, Verum, inquis, amo; verum mihi dicito de me. —
Qui pote? vis dicam? nugaris, quum tibi, calve,
Pinguis aqualiculus propenso sesquipede exstet.
O Iane, a tergo quem nulla ciconia pinsit,
Nec manus auriculas imitata est mobilis albas,
Nec linguae, quantum sitiat canis Appula, tantum!
Vos, o patricius sanguis, quos vivere fas est
Occipiti caeco, posticae occurrite sannae! —
„Quis populi sermo est?“ — Quis enim? nisi carmina molli
Nunc demum numero fluere, ut per leve severos
Effundat iunctura ungues. Scit tendere versum
Non secus, ac si oculo rubricam dirigat uno.
Sive opus in mores, in luxum et prandia regum
Dicere, res grandes nostro dat Musa poetae.
Ecce modo heroas sensus afferre videmus
Nugari solitos Graece, nec ponere lucum
Artifices, nec rus saturum laudare, ubi corbes,
Et focus, et porci, et fumosa Palilia foeno:
Unde Remus, sulcoque terens dentalia, Quincti,
Quum trepida ante boves dictaturam induit uxor,
Et tua aratra domum lictor tulit. — Euge, poeta!
Est nunc, Brysaei quem venosus liber Acci,
Sunt, quos Pacuviusque, et verrucosa moretur
Antiopa, aerumnis cor luctificabile fulta.
Hos pueris monitus patres infundere lippos
Quum videas, quaerisne, unde haec sartago loquendi
Venerit in linguas? unde istud dedecus, in quo
Trossulus exsultat tibi per subsellia levis? —
Nilne pudet, capiti non posse pericula cano
Pellere, quin tepidum hoc optes audire, *decenter?*

Fur es, ait Pedio. — Pedius quid? — Crimina rasis
Librat in antithetis. Doctas posuisse figuras
Laudatur. — Bellum hoc! — Bellum hoc? an Romule ceves?
Men' moveat quippe, et, cantet si naufragus, assem
Protulerim? Cantas, quum fracta te in trabe pictum
Ex humero portes? Verum, nec nocte paratum
Plorabit, qui me volet incurvasse querela.
„Sed numeris decor est, et iunctura addita crudis.
Claudere sic versum didicit: *Berecyntius Attin,*"
Et: *qui caeruleum dirimebat Nerea delphin,*
Sic: *costam longo subduximus Apennino.*
„*Arma virum*, nonne hoc spumosum, et cortice pingui?"
Ut ramale vetus vegrandi subere coctum.
„Quidnam igitur tenerum, et laxa cervice legendum?
„Torva Mimalloneis implerunt cornua bombis,
„Et raptum vitulo caput ablatura superbo
„Bassaris, et lyncem Maenas flexura corymbis
„Evion ingeminat: reparabilis adsonat Echo."
Haec fierent, si testiculi vena ulla paterni
Viveret in nobis? summa delumbe saliva
Hoc natat in labris; et in udo est Maenas, et Attin:
Nec pluteum caedit, nec demorsos sapit ungues.
„Sed quid opus teneras mordaci radere vero
Auriculas? vide sis, ne maiorum tibi forte
Limina frigescant: sonat heic de nare canina
Littera." — Per me equidem sint omnia protinus alba:
Nil moror. Euge! omnes etenim bene mirae eritis res.
Hoc iuvat. „Heic, inquis, veto quisquam faxit oletum!" —
Pinge duos angues: pueri, sacer est locus: extra
Meiite. Discedo. Secuit Lucilius urbem,

Et, Verum, inquis, amo; verum mihi dicito de me. —
Qui pote? vis dicam? nugaris, quum tibi, calve,
Pinguis aqualiculus propenso sesquipede extet.
O Iane, a tergo quem nulla ciconia pinsit,
Nec manus auriculas imitata est mobilis albas,
Nec linguae, quantum sitiat canis Appula, tantum!
Vos, o patricius sanguis, quos vivere fas est
Occipiti caeco, posticae occurrite sannae! —
„Quis populi sermo est?" — Quis enim? nisi carmina molli
Nunc demum numero fluere, ut per leve severos
Effundat iunctura ungues. Scit tendere versum
Non secus, ac si oculo rubricam dirigat uno.
Sive opus in mores, in luxum et prandia regum
Dicere, res grandes nostro dat Musa poetae.
Ecce modo heroas sensus afferre videmus
Nugari solitos Graece, nec ponere lucum
Artifices, nec rus saturum laudare, ubi corbes,
Et focus, et porci, et fumosa Palilia foeno:
Unde Remus, sulcoque terens dentalia, Quincti,
Quum trepida ante boves dictaturam induit uxor,
Et tua aratra domum lictor tulit. — Euge, poeta!
Est nunc, Brysaei quem venosus liber Acci,
Sunt, quos Pacuviusque, et verrucosa moretur
Antiopa, aerumnis cor luctificabile fulta.
Hos pueris monitus patres infundere lippos
Quum videas, quaerisne, unde haec sartago loquendi
Venerit in linguas? unde istud dedecus, in quo
Trossulus exsultat tibi per subsellia levis? —
Nilne pudet, capiti non posse pericula cano
Pellere, quin tepidum hoc optes audire, *decenter?*

Fur es, ait Pedio. — Pedius quid? — Crimina rasis
Librat in antithetis. Doctas posuisse figuras
Laudatur. — Bellum hoc! — Bellum hoc? an Romule ceves?
Men' moveat quippe, et, cantet si naufragus, assem
Protulerim? Cantas, quum fracta te in trabe pictum
Ex humero portes? Verum, nec nocte paratum
Plorabit, qui me volet incurvasse querela.
„Sed numeris decor est, et iunctura addita crudis.
Claudere sic versum didicit: *Berecyntius Attin,*"
Et: *qui caeruleum dirimebat Nerea delphin,*
Sic: *costam longo subduximus Apennino.*
„*Arma virum*, nonne hoc spumosum, et cortice pingui?"
Ut ramale vetus vegrandi subere coctum.
„Quidnam igitur tenerum, et laxa cervice legendum?
„Torva Mimalloneis implerunt cornua bombis,
„Et raptum vitulo caput ablatura superbo
„Bassaris, et lyncem Maenas flexura corymbis
„Evion ingeminat: reparabilis adsonat Echo."
Haec fierent, si testiculi vena ulla paterni
Viveret in nobis? summa delumbe saliva
Hoc natat in labris; et in udo est Maenas, et Attin:
Nec pluteum caedit, nec demorsos sapit ungues.
„Sed quid opus teneras mordaci radere vero
Auriculas? vide sis, ne maiorum tibi forte
Limina frigescant: sonat heic de nare canina
Littera." — Per me equidem sint omnia protinus alba:
Nil moror. Euge! omnes etenim bene mirae eritis res.
Hoc iuvat. „Heic, inquis, veto quisquam faxit oletum!" —
Pinge duos angues: pueri, sacer est locus: extra
Meiite. Discedo. Secuit Lucilius urbem,

Te Lupe, te Muti, et genuinum fregit in illis.
Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit, et admissus circum praecordia ludit,
Callidus excusso populum suspendere naso.
Men' mutire nefas? nec clam, nec cum scrobe? — „Nusquam.“ —
Heic tamen infodiam: Vidi, vidi ipse, libelle:
Auriculas asini quis non habet? — Hoc ego opertum,
Hoc ridere meum, tam nil, nulla tibi vendo
Iliade. — Audaci quicunque affiate Cratino
Iratum Eupolidem praegrandi cum sene palles,
Adspice et haec, si forte aliquid decoctius audis.
Inde vaporata lector mihi ferveat aure:
Non hic, qui in crepidas Graiorum ludere gestit
Sordidus, et lusco qui possit dicere: lusce!
Sese aliquem credens, Italo quod honore supinus
Fregerit heminas Areti aedilis iniquas:
Nec qui abaco numeros et secto in pulvere metas
Scit risisse vafer, multum gaudere paratus,
Si Cynico barbam petulans nonaria vellat.
His mane edictum, post prandia Callirhoën do.

SATIRA II.

Hunc, Macrine, diem numera meliore lapillo,
Qui tibi labentes apponit candidus annos.
Funde merum Genio. Non tu prece poscis emaci,
Quae nisi seductis nequeas committere divis.
At bona pars procerum tacita libavit acerra.
Haud cuivis promptum est, murmurque humilesque susurros
Tollere de templis, et aperto vivere voto.
„Mens bona, fama, fides!“ — haec clare, et ut audiat hospes:
Illa sibi introrsum, et sub lingua immurmurat: „O si
Ebullit patrui praeclarum funus!“ et, „O si
Sub rastro crepet argenti mihi seria, dextro
Hercule! pupillumve utinam, quem proximus heres
Impello, expungam! namque est scabiosus, et acri
Bile tumet. — Nerio iam tertia ducitur uxor!“
Haec sancte ut poscas, Tiberino in gurgite mergis
Mane caput bis terque, et noctem flumine purgas.
Heus age, responde: — minimum est quod scire laboro: —
De Iove quid sentis? estne, ut praeponere cures
Hunc? „Cuinam?“ — Cuinam? — vis Staio? — an scilicet haeres?
Quis potior iudex, pucrisve quis aptior orbis?
Hoc igitur, quo tu Iovis aurem impellere tentas,
Dic agedum Staio: — „proh Iuppiter! o bone,“ clamet,
Iuppiter!“ — at sese non clamet Iuppiter ipse?
Ignovisse putas, quia quum tonat, ocius ilex

Sulfure discutitur sacro, quam tuque domusque?
An quia non fibris ovium, Ergennaque iubente,
Triste iaces lucis, evitandumque bidental,
Idcirco stolidam praebet tibi vellere barbam
Iuppiter? — aut quidnam est, qua tu mercede deorum
Emeris auriculas? — pulmone, et lactibus unctis? —
Ecce avia, aut metuens divum matertera, cunis
Exemit puerum, frontemque atque uda labella
Infami digito, et lustralibus ante salivis
Expiat, urentes oculos inhibere perita.
Tunc manibus quatit, et spem macram supplice voto
Nunc Licini in campos, nunc Crassi mittit in aedes.
„Hunc optent generum rex et regina! puellae
Hunc rapiant! quicquid calcaverit hic, rosa fiat!“
Ast ego nutrici non mando, vota negato,
Iuppiter, haec illi, quamvis te albata rogarit.
Poscis opem nervis, corpusque fidele senectae: —
Esto, age: sed grandes patinae, tucetaque crassa
Annuere his superos vetuere, Iovemque morantur. —
Rem struere exoptas caeso bove, Mercuriumque
Arcessis fibra: „Da fortunare penates,
Da pecus, et gregibus fetum!“ — quo, pessime, pacto,
Tot tibi quum in flammas iunicum omenta liquescant?
At tamen hic extis, et opimo vincere ferto
Intendit: — „Iam crescit ager, iam crescit ovile,
Iam dabitur, iamiam!“ — donec deceptus, et exspes
Nequicquam fundo suspiret nummus in imo. —
Si tibi crateras argenti, incusaque pingui
Auro dona feram, sudes, et pectore laevo
Excutiat guttas laetari praetrepidum cor:

Hinc illud subito, auro sacras quod ovato
Perducis facies. — „Nam fratres inter aënos,
Somnia pituita qui purgatissima mittunt,
Praecipui sunto, sitque illis aurea barba.“ —
Aurum vasa Numae, Saturniaque impulit aera
Vestalesque urnas, et Tuscum fictile mutat.
O curvae in terras animae, et coelestium inanes!
Quid iuvat, hos templis nostros immittere mores,
Et bona dis ex hac sceleratа ducere pulpa?
Haec sibi corrupto casiam dissolvit olivo:
Haec Calabrum coxit vitiato murice vellus:
Haec baccam conchae rasisse, et stringere venas
Ferventis massae crudo de pulvere iussit.
Peccat et haec, peccat: vitio tamen utitur. At vos
Dicite, pontifices, in sacro quid facit aurum?
Nempe hoc, quod Veneri donatae a virgine puppae.
Quin damus id superis, de magna quod dare lance
Non possit magni Messalae lippa propago:
Compositum ius fasque animo, sanctosque recessus
Mentis, et incoctum generoso pectus honesto:
Haec cedo, ut admoveam templis, et farre litabo.

SATIRA III.

„Nempe hoc assidue? Iam clarum mane fenestras
Intrat, et angustas extendit lumine rimas.
Stertimus, indomitum quod despumare Falernum
Sufficiat, quinta dum linea tangitur umbra.
En quid agis? siccas insana canicula messes
Iam dudum coquit, et patula pecus omne sub ulmo est:“
Unus ait comitum. — „Verumne? itane? ocius adsit
Huc aliquis! Nemon'? — Turgescit vitrea bilis,
Finditur: Arcadiae pecuaria rudere dicas.
Iam liber, et positis bicolor membrana capillis,
Inque manus chartae nodosaque venit arundo.
Tunc queritur, crassus calamo quod pendeat humor,
Nigra quod infusa vanescat sepia lympha,
Dilutas queritur geminet quod fistula guttas. —
O miser! inque dies ultra miser! huccine rerum
Venimus? At cur non potius, teneroque palumbo
Et similis regum pueris, pappare minutum
Poscis, et iratus mammae lallare recusas?
„An tali studeam calamo?“ — Cui verba? quid istas
Succinis ambages? tibi luditur: effluis amens.
Contemnêre: sonat vitium percussa, maligne
Respondet viridi non cocta fidelia limo.
Udum et molle lutum es, nunc, nunc properandus, et acri
Fingendus sine fine rota. — Sed rure paterno

Est tibi far modicum, purum et sine labe salinum,
(Quid metuas?) cultrixque foci secura patella est.
Hoc satis? an deceat pulmonem rumpere ventis,
Stemmate quod Tusco ramum millesime ducis,
Censoremque tuum vel quod trabeate salutas?
Ad populum phaleras. Ego te intus et in cute novi.
Non pudet ad morem discincti vivere Nattae?
Sed stupet hic vitio, et fibris increvit opimum
Pingue: caret culpa: nescit, quid perdat: et alto
Demersus, summa rursus non bullit in unda.
Magne pater divum, saevos punire tyrannos
Haud alia ratione velis, quum dira libido
Moverit ingenium, ferventi tincta veneno,
Virtutem videant, intabescantque relicta. —
Anne magis Siculi gemuerunt aera iuvenci,
Et magis auratis pendens laquearibus ensis
Purpureas subter cervices terruit, „Imus,
Imus praecipites," quam si sibi dicat, et intus
Palleat infelix, quod proxima nesciat uxor? —
Saepe oculos, memini, tangebam parvus olivo,
Grandia si nollem morituri verba Catonis
Discere, non sano multum laudanda magistro,
Quae pater adductis sudans audiret amicis.
Iure: etenim id summum, quid dexter senio ferret
Scire erat in voto: damnosa canicula quantum
Raderet: angustae collo non fallier orcae:
Neu quis callidior buxum torquere flagello. —
Haud tibi inexpertum curvos deprendere mores,
Quaeque docet sapiens bracatis illita Medis
Porticus, insomnis quibus et detonsa iuventus

Invigilat, siliquis et grandi pasta polenta.
Et tibi quae Samios diduxit littera ramos,
Surgentem dextro monstravit limite callem.
Stertis adhuc? laxumque caput compage soluta
Oscitat hesternum, dissutis undique malis?
Est aliquid quo tendis, et in quod dirigis arcum?
An passim sequeris corvos testaque lutoque,
Securus quo pes ferat, atque ex tempore vivis? —
Helleborum frustra, quum iam cutis aegra tumebit,
Poscentes videas. Venienti occurrite morbo,
Et quid opus, Cratero magnos promittere montes?
Discite, o miseri, et causas cognoscite rerum,
Quid sumus, et quidnam victuri gignimur? ordo
Quis datus, aut metae quam mollis flexus, et unde?
Quis modus argento? quid fas optare? quid asper
Utile nummus habet? patriae, carisque propinquis
Quantum elargiri deceat? quem te Deus esse
Iussit, et humana qua parte locatus es in re,
Disce: neque invideas, quod multa fidelia putet
In locuplete penu, defensis pinguibus Umbris,
Et piper, et pernae, Marsi monumenta clientis,
Maenaque quod prima nondum defecerit orca. —
Heic aliquis de gente hircosa centurionum
Dicat: „Quod satis est, sapio mihi: non ego curo
Esse quod Arcesilas, aerumnosique Solones,
Obstipo capite, et figentes lumine terram,
Murmura quum secum, et rabiosa silentia rodunt,
Atque exporrecto trutinantur verba labello,
Aegroti veteris meditantes somnia: gigni
De nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti.

Hoc est, quod palles? cur quis non prandeat, hoc est?“ —
His populus ridet, multumque torosa iuventus
Ingeminat tremulos naso crispante cachinnos. —
„Inspice: nescio quid trepidat mihi pectus, et aegris
Faucibus exsudat gravis halitus; inspice, sodes!“
Qui dicit medico, iussus requiescere, postquam
Tertia compositas vidit nox currere venas,
De maiore domo, modice sitiente lagena,
Lenia loturo sibi Surrentina rogavit.
Heus bone, tu palles. — „Nihil est.“ — Videas tamen istud,
Quicquid id est, surgit tacite tibi lutea pellis. —
„At tu deterius palles: ne sis mihi tutor,
Iam pridem hunc sepeli: tu restas.“ — Perge, tacebo. —
Turgidus hic epulis, atque albo ventre lavatur,
Gutture sulfureas lente exhalante mephites:
Sed tremor inter vina subit, calidumque trientem
Excutit e manibus, dentes crepuere retecti,
Uncta cadunt laxis tunc pulmentaria labris. —
Hinc tuba, candelae: tandemque beatulus alto
Compositus lecto, crassisque lutatus amomis,
In portam rigidos calces extendit: at illum
Hesterni capite induto subiere Quirites. —
„Tange, miser, venas, et pone in pectore dextram.“ —
Nil calet hic. — „Summosque pedes attinge manusque.“ —
Non frigent. — Visa est si forte pecunia, sive
Candida vicini subrisit molle puella,
Cor tibi rite salit? — Positum est algente catino
Durum olus, et populi cribro decussa farina:
Tentemus fauces: tenero latet ulcus in ore
Putre, quod haud deceat plebeia radere beta.

Alges, quum excussit membris timor albus aristas:
Nunc face supposita fervescit sanguis, et ira
Scintillant oculi: dicisque, facisque, quod ipse,
Non sani esse hominis, non sanus iuret Orestes.

SATIRA IV.

„Rem populi tractas?“ — barbatum hoc crede magistrum
Dicere, sorbitio tollit quem dira cicutae: —
„Quo fretus? dic, o magni pupille Pericli.
Scilicet ingenium, et rerum prudentia velox
Ante pilos venit: dicenda tacendaque calles.
Ergo ubi commota fervet plebecula bile,
Fert animus calidae fecisse silentia turbae
Maiestate manus. Quid deinde loquere?“ — „Quirites,
Hoc, puta, non iustum est: illud male: rectius illud.“ —
Scis etenim iustum gemina suspendere lance
Ancipitis librae: rectum discernis, ubi inter
Curva subit, vel quum fallit pede regula varo:
Et potis es nigrum vitio praefigere theta. —
Quin tu igitur summa nequicquam pelle decorus
Ante diem blando caudam iactare popello
Desinis, Anticyras melior sorbere meracas. —
Quae tibi summa boni est? uncta vixisse patella
Semper, et assiduo curata cuticula sole? —
Exspecta: haud aliud respondeat haec anus. — I nunc! —
„Dinomaches ego sum.“ — Suffla. — „Sum candidus.“ — Esto:
Dum ne deterius sapiat pannucia Baucis,
Quum bene discincto cantaverit ocyma vernae.

Ut nemo in sese tentat descendere, nemo!
Sed praecedenti spectatur mantica tergo.
Quaesieris: „Nostin' Vectidi praedia?“ — Cuius? —
Dives arat Curibus, quantum non milvus oberret.
„Hunc ais? hunc dis iratis, genioque sinistro,
Qui quandoque iugum pertusa ad compita figit,
Seriolae veterem metuens deradere limum,
Ingemit, „Hoc bene sit!“ tunicatum cum sale mordens
Caepe, et, farrata pueris plaudentibus olla,
Pannosam faecem morientis sorbet aceti.“ —
At si unctus cesses, et figas in cute solem,
Est prope te ignotus, cubito qui tangat, et acre
Despuat in mores: penemque, arcanaque lumbi
Runcantem, populo marcentes pandere vulvas.
„Tu, quum maxillis balanatum gausape pectas,
Inguinibus quare detonsus gurgulio exstat?
Quinque palaestritae licet haec plantaria vellant,
Elixasque nates labefactent forcipe adunca,
Non tamen ista filix ullo mansuescit aratro.“ —
Caedimus, inque vicem praebemus crura sagittis:
Vivitur hoc pacto: sic novimus. — Ilia subter
Caecum vulnus habes; sed lato balteus auro
Praetegit. — Ut mavis, da verba, et decipe nervos,
Si potes. — „Egregium quum me vicinia dicat,
Non credam?“ Viso si palles, improbe, nummo;
Si facis, in penem quicquid tibi venit amarum;
Si puteal multa cautus vibice flagellas:
Nequicquam populo bibulas donaveris aures.
Respue, quod non es: tollat sua munera cerdo:
Tecum habita: noris, quam sit tibi curta supellex.

Et, Verum, inquis, amo; verum mihi dicito de me. —
Qui pote? vis dicam? nugaris, quum tibi, calve,
Pinguis aqualiculus propenso sesquipede exstet.
O Iane, a tergo quem nulla ciconia pinsit,
Nec manus auriculas imitata est mobilis albas,
Nec linguae, quantum sitiat canis Appula, tantum!
Vos, o patricius sanguis, quos vivere fas est
Occipiti caeco, posticae occurrite sannae! —
„Quis populi sermo est?“ — Quis enim? nisi carmina molli
Nunc demum numero fluere, ut per leve severos
Effundat iunctura ungues. Scit tendere versum
Non secus, ac si oculo rubricam dirigat uno.
Sive opus in mores, in luxum et prandia regum
Dicere, res grandes nostro dat Musa poetae.
Ecce modo heroas sensus afferre videmus
Nugari solitos Graece, nec ponere lucum
Artifices, nec rus saturum laudare, ubi corbes,
Et focus, et porci, et fumosa Palilia foeno:
Unde Remus, sulcoque terens dentalia, Quincti,
Quum trepida ante boves dictaturam induit uxor,
Et tua aratra domum lictor tulit. — Euge, poeta!
Est nunc, Brysaei quem venosus liber Acci,
Sunt, quos Pacuviusque, et verrucosa moretur
Antiopa, aerumnis cor luctificabile fulta.
Hos pueris monitus patres infundere lippos
Quum videas, quaerisne, unde haec sartago loquendi
Venerit in linguas? unde istud dedecus, in quo
Trossulus exsultat tibi per subsellia levis? —
Nilne pudet, capiti non posse pericula cano
Pellere, quin tepidum hoc optes audire, *decenter?*

Quid solidum crepet, et pictae tectoria linguae.
His ego centenas ausim deposcere voces,
Ut, quantum mihi te sinuoso in pectore fixi,
Voce traham pura, totumque hoc verba resignent,
Quod latet arcana non enarrabile fibra. —
Quum primum pavido custos mihi purpura cessit,
Bullaque succinctis Laribus donata pependit;
Quum blandi comites, totaque impune Suburra
Permisit sparsisse oculos iam candidus umbo:
Quumque iter ambiguum est, et vitae nescius error
Diduxit trepidas ramosa in compita mentes,
Me tibi supposui. Teneros tu suscipis annos
Socratico, Cornute, sinu. Tunc fallere sollers
Apposita intortos extendit regula mores,
Et premitur ratione animus, vincique laborat,
Artificemque tuo ducit sub pollice vultum.
Tecum etenim longos memini consumere soles,
Et tecum primas epulis decerpere noctes.
Unum opus, et requiem pariter disponimus ambo,
Atque verecunda laxamus seria mensa.
Non equidem hoc dubites, amborum foedere certo
Consentire dies, et ab uno sidere duci.
Nostra vel aequali suspendit tempora Libra
Parca tenax veri, seu nata fidelibus hora
Dividit in geminos concordia fata duorum;
Saturnumque gravem nostro Iove frangimus una.
Nescio quod, certe est, quod me tibi temperat, astrum. —
Mille hominum species, et rerum discolor usus:
Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.
Mercibus hic Italis mutat sub sole recenti

Et, Verum, inquis, amo; verum mihi dicito de me. —
Qui pote? vis dicam? nugaris, quum tibi, calve,
Pinguis aqualiculus propenso sesquipede exstet.
O Iane, a tergo quem nulla ciconia pinsit,
Nec manus auriculas imitata est mobilis albas,
Nec linguae, quantum sitiat canis Appula, tantum!
Vos, o patricius sanguis, quos vivere fas est
Occipiti caeco, posticae occurrite sannae! —
„Quis populi sermo est?“ — Quis enim? nisi carmina molli
Nunc demum numero fluere, ut per leve severos
Effundat iunctura ungues. Scit tendere versum
Non secus, ac si oculo rubricam dirigat uno.
Sive opus in mores, in luxum et prandia regum
Dicere, res grandes nostro dat Musa poetae.
Ecce modo heroas sensus afferre videmus
Nugari solitos Graece, nec ponere lucum
Artifices, nec rus saturum laudare, ubi corbes,
Et focus, et porci, et fumosa Palilia foeno:
Unde Remus, sulcoque terens dentalia, Quincti,
Quum trepida ante boves dictaturam induit uxor,
Et tua aratra domum lictor tulit. — Euge, poeta!
Est nunc, Brysaei quem venosus liber Acci,
Sunt, quos Pacuviusque, et verrucosa moretur
Antiopa, aerumnis cor luctificabile fulta.
Hos pueris monitus patres infundere lippos
Quum videas, quaerisne, unde haec sartago loquendi
Venerit in linguas? unde istud dedecus, in quo
Trossulus exsultat tibi per subsellia levis? —
Nilne pudet, capiti non posse pericula cano
Pellere, quin tepidum hoc optes audire, *decenter?*

Liberior Bruto?“ — „Mendose colligis,“ inquit
Stoicus hic, aurem mordaci lotus aceto:
„Haec reliqua accipio: licet, ut volo, vivere, tolle.“ —
„Vindicta postquam meus a praetore recessi,
Cur mihi non liceat, iussit quodcunque voluntas,
Excepto, si quid Masuri rubrica vetavit?“
Disce! sed ira cadat naso, rugosaque sanna,
Dum veteres avias tibi de pulmone revello.
Non praetoris erat stultis dare tenuia rerum
Officia, atque usum rapidae permittere vitae. —
Sambucam citius caloni aptaveris alto. —
Stat contra ratio, et secretam gannit in aurem:
Ne liceat facere id, quod quis vitiabit agendo.
Publica lex hominum, naturaque continet hoc fas,
Ut teneat vetitos inscitia debilis actus.
Diluis helleborum certo compescere puncto
Nescius examen. Vetat hoc natura medendi. —
Navem si poscat sibi peronatus arator
Luciferi rudis, exclamet Melicerta perisse
Frontem de rebus. — Tibi recto vivere talo
Ars dedit? et veri speciem dignoscere calles,
Ne qua subaerato mendosum tinniat auro?
Quaeque sequenda forent, quaeque evitanda vicissim,
Illa prius creta, mox haec carbone notasti?
Es modicus voti, presso lare, dulcis amicis?
Iam nunc adstringas, iam nunc granaria laxes:
Inque luto fixum possis transcendere nummum,
Nec gluto sorbere salivam Mercurialem?
„Haec mea sunt, teneo:“ quum vere dixeris, esto
Liberque ac sapiens, praetoribus ac Iove dextro.

Sin tu, quum fueris nostrae paulo ante farinae,
Pelliculam veterem retines, et fronte politus
Astutam vapido servas sub pectore vulpem:
Quae dederam supra, repeto, funemque reduco.
Nil tibi concessit ratio: digitum exsere, peccas:
Et quid tam parvum est? Sed nullo thure litabis,
Haereat in stultis brevis ut semuncia recti.
Haec miscere nefas: nec quum sis caetera fossor,
Treis tantum ad numeros satiri moveare Bathylli.
„Liber ego.“ — Unde datum hoc sumis, tot subdite rebus?
An dominum ignoras, nisi quem vindicta relaxat?
„I puer, et strigiles Crispini ad balnea defer.“ —
Si increpuit: „cessas nugator?“ servitium acre
Te nihil impellit: nec quicquam extrinsecus intrat,
Quod nervos agitet. Sed si intus, et in iecore aegro
Nascuntur domini, quin tu impunitior exis,
Atque hic, quem ad strigiles scutica, et metus egit herilis? —
Mane piger stertis: — „Surge,“ inquit avaritia: „eia
Surge.“ Negas, instat; „surge,“ inquit. „Non queo.“ „Surge.“
„En! quid agam?“ „Rogitas? En saperdam! advehe Ponto
Castoreum, stuppas, ebenum, thus, lubrica Coa:
Tolle recens primus piper e sitiente camelo.
Verte aliquid; iura.“ — „Sed Iuppiter audiet:“ — „Eheu
Baro, regustatum digito terebrare salinum
Contentus perages, si vivere cum Iove tendis.“ —
Iam pueris pellem succinctus et oenophorum aptas:
Ocius ad navim! — Nihil obstat, quin trabe vasta
Aegaeum rapias, nisi sollers luxuria ante
Seductum moneat: „Quo deinde, insane, ruis? quo?
Quid tibi vis? [illegible] bills

Intumuit, quam non exstinxerit urna cicutae.
Tun' mare transsilias? tibi torta cannabe fulto
Coena sit in transtro? Veientanumque rubellum
Exhalet, vapida laesum pice, sessilis obba?
Quid petis? ut nummi, quos hic quincunce modesto
Nutrieras, pergant avidos sudare deunces?
Indulge genio; carpamus dulcia: nostrum est,
Quod vivis: cinis et manes et fabula fies.
Vive memor leti: fugit hora: hoc, quod loquor, inde est." —
En quid agis? duplici in diversum scinderis hamo:
Hunccine, an hunc sequeris? subeas alternus oportet
Ancipiti obsequio dominos; alternus oberres.
Nec tu, quum obstiteris semel, instantique negaris
Parere imperio, „Rupi iam vincula," dicas.
Nam et luctata canis nodum abripit: attamen illi,
Quum fugit, a collo trahitur pars longa catenae. —
„Dave, cito, hoc credas iubeo, finire dolores
Praeteritos meditor." (Crudum Chaerestratus unguem
Abrodens ait haec.) „An siccis dedecus obstem
Cognatis? an rem patriam rumore sinistro
Limen ad obscoenum frangam, dum Chrysidis udas
Ebrius ante fores exstincta cum face canto?"
„Euge, puer, sapias: Dîs depellentibus agnam
Percute." — „Sed censen' plorabit, Dave, relicta?" —
Negaris: solea, puer, obiurgabere rubra.
Ne trepidare velis, atque arctos rodere casses.
Nunc ferus et violens: at si vocet, „haud mora," dicas:
„Quidnam igitur faciam? nec nunc, quum arcessor, et ultro
Supplicet, accedam?" — „Si totus et integer illinc
Exieras, nec nunc." — Hic, hic, quem quaerimus, hic est:

Non in festuca, lictor quam iactat ineptus.
Ius habet ille sui palpo, quem ducit hiantem
Cretata ambitio? Vigila, et cicer ingere large
Rixanti populo, nostra ut Floralia possint
Aprici meminisse senes. Quid pulchrius? — At quum
Herodis venere dies, unctaque fenestra
Dispositae pinguem nebulam vomuere lucernae
Portantes violas, rubrumque amplexa catinum
Cauda natat thynni, tumet alba fidelia vino:
Labra moves tacitus, recutitaque sabbata palles.
Tunc nigri lemures, ovoque pericula rupto:
Tunc grandes Galli, et cum sistro lusca sacerdos,
Incussere deos inflantes corpora, si non
Praedictum ter mane caput gustaveris alli.
Dixeris haec inter varicosos centuriones,
Continuo crassum ridet Vulfenius ingens,
Et centum Graecos curto centusse licetur.

SATIRA VI.

Admovit iam bruma foco te, Basse, Sabino?
Iamne lyra, et tetrico vivunt tibi pectine chordae?
Mire opifex numeris veterum primordia vocum,
Atque marem strepitum fidis intendisse Latinae:
Mox iuvenes agitare iocos, et pollice honesto
Egregios lusisse senes? — Mihi nunc Ligus ora
Intepet, hibernatque meum mare, qua latus ingens
Dant scopuli, et multa litus se valle receptat.
„Lunai portum est operae cognoscere, cives.“
Cor iubet hoc Enni, postquam destertuit esse
Maeonides, Quintus pavone ex Pythagoreo.
Heic ego securus vulgi, et quid praeparet Auster
Infelix pecori: securus et angulus ille
Vicini, nostro quia pinguior. Etsi adeo omnes
Ditescant orti peioribus, usque recusem
Curvus ob id minui senio, aut coenare sine uncto,
Et signum in vapida naso tetigisse lagena. —
Discrepet his alius. Geminos, horoscope, varo
Producis genio. Solis natalibus est qui
Tingat olus siccum muria vafer in calice emta,
Ipse sacrum irrorans patinae piper: hic bona dente
Grandia magnanimus peragit puer. Utar ego, utar,
Nec rhombos ideo libertis ponere lautus,
Nec tenuem sollers turdorum nosse salivam.

Messe tenus propria vive, et granaria (fas est)
Emole. Quid metuis? Occa, et seges altera in herba est. —
Ast vocat officium: trabe rupta, Bruttia saxa
Prendit amicus inops: remque omnem, surdaque vota
Condidit Ionio: iacet ipse in litore, et una
Ingentes de puppe dei, iamque obvia mergis
Costa ratis lacerae. Nunc et de cespite vivo
Frange aliquid: largire inopi, ne pictus oberret
Caerulea in tabula. — Sed coenam funeris heres
Negliget iratus, quod rem curtaveris: urnae
Ossa inodora dabit, seu spirent cinnama surdum,
Seu ceraso peccent casiae, nescire paratus.
„Tune bona incolumis minuas?“ — Sed Bestius urget
Doctores Graios: Ita fit, postquam sapere Urbi
Cum pipere, et palmis venit nostrum hoc maris exper:
Phoenisecae crasso vitiarunt unguine pultes.“ —
Haec cinere ulterior metuas? — at tu, meus heres
Quisquis eris, paulum a turba seductior audi:
„O bone, num ignoras? missa est a Caesare laurus
Insignem ob cladem Germanae pubis, et aris
Frigidus excutitur cinis: ac iam postibus arma,
Iam chlamydes regum, iam lutea gausapa captis,
Essedaque, ingentesque locat Caesonia Rhenos.
Dis igitur, genioque ducis centum paria, ob res
Egregie gestas, induco. — Quis vetat? aude!
Vae, nisi connives! oleum, artocreasque popello
Largior. An prohibes? dic clare!“ „Non adeo,“ inquis. —
„Exossatus ager iuxta est. Age, si mihi nulla
Iam reliqua ex amitis, patruelis nulla, proneptis
Nulla manet patrui, sterilis matertera vixit,

Deque avia nihilum superest: accedo Bovillas,
Clivumque ad Virbi: praesto est mihi Manius heres.“ —
„Progenies terrae?“ — „Quaere ex me, quis mihi quartus
Sit pater: haud prompte, dicam tamen. Adde etiam unum,
Unum etiam: terrae est iam filius. Et mihi ritu
Manius hic generis prope maior avunculus exit. —
Qui prior es, cur me in decursu lampada poscis?
Sum tibi Mercurius: venio deus huc ego, ut ille
Pingitur. An renuis? vin' tu gaudere relictis?“ —
„Deest aliquid summae.“ — „Minui mihi: sed tibi totum est,
Quicquid id est. Ubi sit, fuge quaerere, quod mihi quondam
Legarat Stadius; neu dicta repone paterna:
„Foenoris accedat merces: hinc exime sumtus.“ —
„Quid reliquum est?“ — „Reliquum? nunc, nunc impensius unge,
Unge, puer, caules. Mihi festa luce coquatur
Urtica, et fissa fumosum sinciput aure,
Ut tuus iste nepos olim satur anseris extis,
Quum morosa vago singultiet inguine vena,
Patriciae immeiat vulvae? mihi trama figurae
Sit reliqua: ast illi tremat omento popa venter?“ —
Vende animam lucro: mercare, atque excute sollers
Omne latus mundi: ne sit praestantior alter
Cappadocas rigida pingues pavisse catasta:
Rem duplica. — „Feci: iam triplex, iam mihi quarto,
Iam decies redit in rugam. Depunge, ubi sistam.“ —
Inventus, Chrysippe, tui finitor acervi.

ANNOTATIONES.

PROLOGUS.

Vs. 4. *Heliconiadasque* — Alii *Heliconidasque*, illud cum multis libris praefero, ita tamen, ut *ia* in unam syllabam contrahatur. Vid. Schneider. de dialect. Soph. p. 55., eiusdemque not. ad Philoct. 1334.

Vs. 5. *remitto*. Restitui pro *relinquo*, quod Passovius e codd. recepit, sed Orellii auctoritate pro glossemate habendum est. Commode utitur poeta voc. *remitto*, quod Romae tunc temporis recitantium poetarum iactationibus de commercio cum Musis, et afflatu inde divino accepto interfuit, sed nihil earum in proprium usum convertere vult. Quare addit: *ipse semipaganus*. Casaubonus: remitto, inquit, apud optimos scriptores hac notione, quum aliquid παραιτούμεθα et reiicimus vel oblatum.

Vs. 8. Post hunc versum in cod. Brem. et aliquot editionibus, ut in novissima Achaintrii, invenitur hic versus: Corvos quis olim concavum salutare?, quem fortasse ad narrationem Plin. Hist. Nat. lib. X. c. 43. compositum, ne Persio tribuamus, vetat praeter alia particula *olim*. In editione Britannici an. 1505. adscriptum est: Versus hic a Fonteio, non ab aliis ponitur. Fonteius Persii amicus fuisse dicitur.

Vs. 14. Achaintrius, Turnebum in Adverss. 4, 22. p. 125, 10. et 10, 13. p. 299, 24. sequutus, verba in versione Francogallica sic transtulit: Cantare Pegasium melos credas.; alii, ut metrum servarent, scribebant mellos, alii retinebant *melos* longa syllaba. Melius tamen *nectar*, quod plures codd. et Reizius et Passovius et Orellius in editionibus habent, praefertur. Hoc satis se commendat eo, quod Persius poetas aequales, qui sublatius de carminum suorum dulcedine vel loquerentur, vel cogitarent, hac dictione risisse videtur.

SATIRA I.

Vs. 1. Haec satira non prius dialogi formam induit, quam illo versu *Quisquis es, o modo quem ex adverso dicere feci:* qui versus ante leguntur, tribuo soli Persio, secum deliberanti, debeat, nec ne, satiras scribere: quod quidem ita instituit, ut interrogando sibique respondendo vulgi de hac re iudicium, quod incepto suo oppositum sit, diluere studeat. Abreptus autem mentis alacritate et furore poetico tandem eo pervenit, ut ingenium aetatis, cui adversatur, in speciem et formam transmutatum sibi adesse et secum colloqui fingat. Ad quod colloquium transitus fit versu 40., ubi *ait* occurrit, quod non ad unum refertur, sed quod in universum dictum est.

Vs. 6. *examenque* — Gesnerus in lexico s. v. *castigare* "Examen castigare, inquit, est ligulam illam, cuius momentis pondus exigitur et investigatur, ad quietem redigere, et velut compescere, quo facto pondus cognoscitur. Vetat igitur iudicium populi sequi et illius velut trutina uti." Non differt ab hac Orellii expositio: "popelli ponderibus res examinare noli, verum illis posthabitis tuis potius utere," nisi quod hic particulae *que*, quia *non* antecedit, vim negandi tribuit, ille autem *ve* in recentioribus libris inventam retinet. Primus *que* ex antiquioribus libris Passovius reduxit, atque eam non repetere negationem, sed per se esse percipiendam recte contendit. Illud enim si statueretur, *castigare* vim suam corrigendi amitteret, et nulla praeterea vocis *improbum* ratio habita esset. Sententia haec est: Quum corrupto populus Romanus iudicio sit, si aliquem extulerit et laudarit, eius iudicio non accedas, ipseque linguam, quae in populari trutina fallax est, coerceas, et quam in partem ea vergat, observes. Ita haec verba iam Bartholomaeus Fontius intellexit, et optime ante Passovium v. *elevare* interpretatus est.

Vs. 8. *Ah si fas dicere — Ac*, quod omnes fere codices habent, non ferendum est. Melius est *at*, quod Passovius et Orellius ex codd. et editt. antiquis receperunt, sed particula *Ah*, quam Reizius non ex coniectura dedit, exstat enim iam in Asterii Manlii Parmensis edit. Sat. I et II, et teste Casaubon. in aliis libris, est h. l. animo poetae aestuanti et graviter ferenti, quod satiras sibi scribere non liceat, aptissima. Vid. Aster. Manl. commentar.

Vs. 12. *Sed sum petulanti splene cachinno.* Ut Meisterus interpungit *sed sum petulanti splene: cachinno.*, ita etiam Heindorfius in margine edit. Bipontinae.

Vs. 13. *Scribimus inclusi*, *numeros ille*, *hic* — Sic omnes fere codices, Reizius, et Achaintrius. Passovius contra partim probavit Marklandi coniecturam *Scribimus*, *inclusus numeris* (*ros*) *ille*, *hic*, Orellius totam Gronovii in Elench. p. 267. *Scrib.*, *inclusi numeros illi*, *hic*. Neutra opus est, modo ex voc. *liber* ad enunciationem *numeros ille* contrarium *inclusus* vel simile quid intelligas, ut sit metri lege coarctatus. Vid. Tacit. Histor. lib. I. c. 8.: *Clurius Rufus*, *vir facundus et pacis artibus* (sc. expertus), *bellis inexpertus*. Iustin. lib. XIII. c. 1. *non ut civem et tantae maiestatis regem* (sc. lugebant), *sed ut hostem amissum gaudebant*. Cf. Seebod. miscell. 1, 3. Hoc loco contrarium v. *liber* eo facilius omissum est, quod *inclusi* eiusdem notionis, quae supplenda est, praecedit. *Scribimus inclusi*, sc. in conclavi, a strepitu et turba remoti, ne alii nobis impedimento sint, i. e. acerrimo studio.

Vs. 17—18. *legens* — *collueris* — Omnium codd. lectionem *legens* Casaubonus, Reizius, Achaintrius, Orellius, aliique, praeeunte Pithoeo, in *leges* mutarunt, et vs. sequenti, libris non adversantibus, *collueris* scripserunt. Passovius habet *legens* — *colluerit* cum plurimis libris, commate post *anhelet* posito. Quod ego dedi, excusum iam invenitur in editione Federici Ceruti et Schrevelii. Ille in paraphrasi verborum sententiam sic exponit: "Scilicet, quum poeta eleganter pexus, vesteque candida et nova indutus, et annulo, sardonyche exornato, plasmateque usus, quo vocem molliorem suavioremque reddat, nec non libidinoso oculorum motu scripta suo populo in celsa sede constitutus recitaverit, tunc videbis, istos Titos, viros principes, libidinose moveri, non honesto, laudabilique more, sed impudicis gestibus, neque voce clara, sed effeminata et tremula: quandoquidem carminum ea vis est, ut libidinosum quendam nefandae voluptatis pruritum possint excitare."

Vs. 24. *Quid didicisse* — Sic omnes fere codices. *Quo* tenent, qui communem dicendi usum sequuntur. Vid. Heins. ad Ovid. Epist. II, 53. Epist. IV, 157. Bentl. ad Horat. Epist. lib. I, V, 12. Neque alia de causa *quid* in hac dictione nonnunquam in libris in *quo* mutatum videtur. Infinitivus *didicisse* indignantis est, quem a suppresso *iuvat* pendere dicunt: quo modo in *quid* nemo offendet. Cf. Maximian. Eleg. I, 181. in Wernsdorf. P. L. t. 6. p. 300.: Quid mihi divitiae, quarum si dempseris usum, Quamvis largus opum, semper egenus ero?

Vs. 35. Orellius post *palato* comma ponit, quasi verba *assensere viri* apodosin efficiant, quod sic tantum fieri potest, ut *si* in protasi omissum dicatur. Vid. Gernhard. Commentatt.

gramm. III. p. 7. not. 8. Cort. ad Sallust. Iug. 64, 5. Sed per se collocanda sunt verba, ut vs. 38. *laudant convivae.*

Vs. 39. Hunc versum Stieberus et Koenigius ob verbositatem totius loci, quae brevitati Persianae dictionis non conveniat, insititium censent. Sed quam cauti in expungendis eiusmodi orationis ubertate locis suspectis debeamus esse, ostendit Iacobus in cap. V. Quaestionum Lucianearum. Persius h. l. iusto verbosior est, quia vulgares et saepe auditas aevi illius formulas, quibus poetae defuncti laudabantur, irridere videtur.

Vs. 59. Vir doctus in actis literariis Ienensibus an. 1822. n. 198. infinitivum *imitari* ex Heinsii Advers. p. 29. et Burmanni Syllog. ep. t. IV. p. 432. sqq. acceptum tuetur, verborum coniunctione sic ordinata: O Iane, quem nulla ciconia pinsit, nec manus pinsit, mobilis imitari (i. e. ad imitandas) auriculas albas. Sed vereor, ne *pinsit*, ciconiae aptissimum, etiam ad *manus* trahi queat. Vulgatam *imitata est* retinendam censeo, modo ex accusativo relativi *quem* suppleas *cui*, i. e. cuius in contumeliam nulla manus a tergo albas asini aures expressit. Iuvenalis Sat. XIV. vs. 106. Cui septima quaeque fuit lux Ignava, et (qui) partem vitae non attigit ullam. Plaut. Rud. act. II. sc. 1. vs. 2. Quibus nec quaestus est, nec (qui) didicere artem ullam. Vid. Ruddim. institutt. gr. lat. p. II. p. 27. ed. Stallbaum.

Vs. 61. *fas est* — i. e. quibus denegatum a natura est, vivere occipitio oculis praedito. *Ius est*, quod Achaintrius et codd. quidam habent, ferri non potest.

Vs. 67. *et prandia* — Passovius *an prandia*. Sed vir doctus Ephemerid. Heidelbergenss. in censura Achaintrii editionis, altera scriptura Prisciani p. 1175. Putsch. *in prandia* reiecta, tuetur *et prandia* eamque recte interpretatur. Res vitae communis, inquit, sunt mores corrupti et luxus, ad quem prandia regum i. e. potentiorum pertinent: quare explicandi causa bene adduntur *et prandia*. De significatione *regum* h. l. vid. Casaub. ad Theophrast. Charact. II. Heindorf. ad Horat. Sat. I, 2, 86. Rupert. ad Iuven. Sat. I, 135. — *Sive* idem quod *vel si*. vid. Wunderlich. ad Tibull. I, 6, 21. et Huschk., qui hunc Persii locum affert. Add. Terent. Andr. I, 2. *Dehinc postulo, sive aequum est, te oro.* Linacr. L. II. p. 1848. Interpunctionem post *dicere* Reizio debemus. *Noster poeta* i. e. quem in deliciis habemus.

Vs. 69. *videmus* — Alii habent *docemus:* qui error ortus est ex praecedente *Ecce.*

Vs. 74. *Quum — dictaturam induit.* Sic antiquiores codices et editiones: quae scriptura affirmatur Sidonii Apolli-

naris imitatione carm. VII. vs. 384.: *veterem quum te induis uxor ante boves trabeam dictatoremque salignae Excepere fores.* Tum quidem *te* desideratur, sed ferenda eius omissio est, antecedente vocativo et sequente pronomine *tua.* Sententia in brevius contracta haec est: quum Racilia, uxor tua, eo, quod propere e tugurio togam protulit, effecit, ut legati tibi ante boves dictaturam offerrent. Rogaverunt eum auctore Livio lib. III. c. 26. legati, ut togatus mandata senatus audiret. Si scribitur *quem — dictaturam induit*, ut vir doctus in actis literariis Ien. l. l. vult, durissima est cum his verbis eorum, quae sequuntur, coniunctio *Et tua aratra domum lictor tulit.*

Vs. 76. *Brysaei — Briseis* ex coniectura Scoppae plures dederunt, sed in omnibus antiquis libris exstat vel *Brysaei*, s. *Brysei*, vel *Brisaei*, s. *Brisei*, h. e. bacchici, non quod Accius poeta in Bacchi tutela erat, vid. Horat. ep. lib. II, 2. vs. 78. *Rite cliens Bacchi, somno gaudentis et umbra*, sed quia furore poetico carmina, eaque tumore plenissima condidit. Idcirco fortasse rectius scriptum est *Brysaei*, cuius originem in graeco βρύειν *scatere*, *pullulare*, *plenum esse* quaerimus, cf. Perott. Corn. cop. pag. 695. lin. 57. Creuz. Symbol. t. III. p. 868. quamquam alterum Brisaei a verbis eiusdem stirpis βρίζω, βρίθω derivatur.

Vs. 86. *Doctas* — Sic omnes codices. Casaubonus tamen *doctus* malebat ad Iuven. Sat. I, 56. *doctus spectare lacunar.*

Vs. 90. *portes* — Wagnerus coniecit *portas*, quia res non sit incerta. Rectior tamen subiunctivus. Vid. Aug. Grotefend. Mater. Excurs. II.

Versum 92. et 93. tribuo monitori, cui a poeta cum dictis suis de recentium poetarum praestantia reiecto nihil superest, nisi ut eorum versuum mollitiem et concinnitatem laudet. Idcirco affert exitum versus poetae cuiusdam illo tempore notissimi: *Berecyntius Attin.* Unde non erat, quod Meisterus et Passovius verbo *didicit* ex ipsa hac enunciatione subiectum quaererent: est poeta ille, qui, versu eius audito, omnibus statim innotuit. *Crudis* noli cum *numeris* coniungere, quod substantivi loco oppositum est voci vs. 97. *coctum*, et carmina significat, quae ut imperfecta antea vituperabantur. Tum Persius vs. 94. monitoris orationem interrumpens recitat duos alios eiusdem poetae, ea quidem vocis modulatione, ut ab eo rideantur, ut nimium sonori et tumidi, verique sensuum vigoris expertes. Qua de re monitor indignatus Aeneida Virgilii, carmen ex mente Persii perfectissimum, obiicit, percunctans, *nonne hoc etiam spumosum et cortice pingui?* Cui

Persius non recedens a proposita metaphora aequissimo animo respondet: *ut ramale vetus vegrandi subere coctum.* Illud significat carmen, quod mollibus et turgidis versibus compositum extrinsecus intumescit, ut nulla subiectae sententiae habeatur ratio, hoc contra quod omni tumore vacuum et vi interna ac vigore maturatum est. Nam *vegrande suber* opponitur *cortici*, qui exterius arboris tegumentum est, quum illud interiora indicet. Vid. Plin. Hist. nat. lib. XI. c. 24. *Cortice in orbem detracto necantur arbores, excepto subere, quod sic etiam iuvatur. Crassescens enim praestringit et strangulat.* lib. XVI. c. 40. *In aquis non fluitat suber, si dematur cortex.* c. 8. *cortex tantum in fructu, praecrassus ac renascens, atque etiam in denos pedes undique explanatus. Praegrandi* pro *vegrandi* scriptum est ab eo, qui huius vim augendi h. l. aptissimam prae altera minuendi notare voluit. Vid. Heindorf. ad Horat. Sat. pag. 54. sq. Iam monitor quum se rursus in angustias redactum sentiat, ambigit et interrogat poetam, quid molle, quid tenerum sit, ita tamen, ut ipse versus subiiciat, quos sic comparatos putat.

Vs. 100. *raptum* — Cod. Vimariensis, et multae veteres editiones *sectum*, Marcilius *raptim*. Ut tautologia verborum *raptum — ablatura* tolleretur, proposuit vir doctus in Ephem. Heidelberg. *allatura*, non cogitans, versus poetae citari, qui non ipsam sententiam verborum, sed potius tumorem et inanem orationis ornatum spectaverit.

Vs. 109. *canina* — Vid. Iosephi Scalig. Coniectanea pag. 127.

Vs. 121. *quis non habet.* Altera lectio *Mida habet*, merum grammatici cuiusdam commentum est, quod ita placuit, ut Persii vitae apud Suetonium adiiceretur, atque sic stabilitum in veteres inde nonnullas editiones transiret. Quod eam a Cornuto, Persii praeceptore, Neronis metu, ne memoriae poetae et domui universae atque adeo sibi ipsi noceret, cum *quis non habet* commutatam fuisse dicunt, id iam ideo credendum non est, quod tum plura, quae in illum dicta viderentur, quaeque vera interpretibus maximeque Meistero in Sat. IV. visa sunt, exstinguenda erant. Omnes deinde codices lectionem *quis non habet* exhibent, eamque series orationis, ut iam Stieberus contendit, egregie commendat: qua in re praecipue tenendum est, poetae huius morem esse, ut ad ea, unde egressus est, ad extremum redeat. Ut igitur versus 121 — 122. ad initium satirae, ubi is, qui tanquam monitoris personam sustinet, Persium a satiris conscribendis retinere vult, referri debent, ita hic versus ad verba illa *Nam Romae est quis non?* Quod illic per aposiopesin obticuit, quod-

que, quia rem nondum probaverat, egregie fecit, id h. l., natura et indole poeseos Romanae antea exposita, per Midae fabulam certo eloquitur, Romanos scilicet maximeque procere corrupto et pravo iudicio esse.

Vs. 126. *Inde vaporata* — Iunes Britannicus adnotat: *unde*, ex quo. *Unde* legendum est, non *inde*. Sic quoque cod. Chemnicen. et plures antiquae editiones: quam scripturam defendit Wagnerus, et censor in Ephem. Ienens. an. 1822. n. 198. sic, ut hic lectorem intelligat, qui quod sibi vitiorum in satiris notatorum conscius sit, pudore suffundatur et animi sollicitudine agitetur. Quae sententia mihi quidem aliena ab hoc loco videtur: optat sibi potius poeta et invitat lectores, qui Graecorum comicorum scriptis delectentur. Qua de causa praetuli lectionem *Inde*, quam Turnebus Adverss. lib. XXVIII. c. XXVI. bene sic explicat: "Lector ferveat meorum studio poematum, et inde vaporata et calefacta afflatuque aure, quod et audierit et pervolutaverit comicos veteres." Nam quem primum afflavit Cratinus, deinde Eupolis et Aristophanes accenderunt, is mihi denique ferveat, ait poeta, i. e. mea scripta cum fervore et ardore legat. Alii *Inde* malunt referri ad verba *si quid decoctius*.

Vs. 128. *possit* — Coniunctivus *possit* in hac verborum coniunctione aptior mihi videtur altero *poscit*, quod in nonnullis codd. invenitur, quodque ob antecedentem indicativum librariorum culpa sine dubio illatum est.

SATIRA II.

Vs. 5. *libavit* — Plures libri habent *libabit*, at illud cum vi aoristi praeferendum censeo, quem quum multi in latinis scriptoribus agnoscere nollent, eius loco, ubi facillime fieri poterat, futurum inferebatur. Cf. Iuvenal. Sat. IX. vs. 80. *servavit*, ubi alii *servabit*; III. vs. 166. *quod turpe negavit*, alii *negabit*. Cf. Sat. X. vs. 7. Vid. Gronov. ad Senec. Hippol. vs. 510. et ad eiusd. epist. 14.

Vs. 14. *Ducitur* — *Conditur* glossa est huius scripturae iam antiquis temporibus male intellectae. Recte eam interpretatur Scoppa in Collect. II. c. 12. "Avarus uxoris mortem desiderans invidet Nerio, qui duabus mortuis uxoribus tunc tertiam ducebat, et sic ditescebat: at ipse suam, quam unicam habebat, sepelire non poterat." Vide etiam catum Gesnerum in lexic. s. v. *ducere*. Ducere uxorem, ut sit sepelire, Latini non dicunt, nisi addito funere, vel exsequiis, vel alia voce, quibus dativus personae, quae sepelitur, vulgo acce-

dit. Plin. Hist. nat. VIII, 42. *Rex defuncto ei duxit exsequias.* Plin. II, 109. Epist. lib. III, 16.

Vs. 16. *noctem* — i. e. nocturnum coitum. Sic quidem D. Hieronymus in Apolog. pro libris adversus Iovianum c. 7: *Sed ipsorum*, inquiens, *conscientiam convenio, qui eadem die post coitum communicant, et, iuxta Persium, noctem flumine purgant.* Vid. plura ap. Barn. Brissonium in formulis lib. I. c. VII. Caspar. Barth. ad Stat. Theb. IX, 574.

Vs. 19. *Hunc? Cuinam? Cuinam?* Sic scripsi, quia alterum *Hunc cuiquam?* linguae legibus non congruere videtur. Nam si Latini *quisquam* in interrogatione utuntur, exspectamus, ut interrogatus rem, de qua quaerimus, neget: quare si *cuiquam* rectum esset, non interrogari rursus *Cuinam*, sed *nulli* responderi debebat. Cf. Virgil. Aen. X. vs. 65. *Aenean hominum quisquam divumque subegit Bella sequi?* Aen. I. vs. 48. *Et quisquam numen Iunonis adoret praeterea?* Terent. Hec. 3, 1, 13. *An quisquam usquam gentium est aeque miser?* Ceterum lectionem receptam non aliter, quam Casaubonus, explico.

Vs. 26. *An quia non* — Achaintrius interpungit in edit. an. 1822. hoc modo: *An, quia, non fibris ovium, Ergennaque iubente, Triste iaces lucis* —. *Idcirco*, quae interpunctio plane perversa est, quia *non* ad *iaces* pertinet, et verba *fibris* — *iubente* eum indicant, cuius iussu eiusmodi hidental evitandum sit.

Vs. 35. *spem macram* — Wagnerus *spem mactam*, qua coniectura sales pereunt, qui oriuntur e contrariis, scilicet spe macra, i. e. dubia, incertissima, et votis illis summis, quae nutrix de infante suscepit. Eadem de causa est lectio cod. Parisini *macra spe et supplice voto* improbanda.

Vs. 39. *Haec ego nutrici non mando, vota negato* — Sic plures antiquae editiones. — Nutrix, ut hoc obiter moneam, non est diversa, quod Koenigius censet, ab avia et matertera. Grandaevis enim nutricibus committebantur infantes, quibus diligentiam et munditiam adhiberent. Vid. Iuven. Sat. XIV. vs. 208. ibiq. schol.

Vs. 42. *pingues patinae* — i. e. epulae opiparae et unctae, quas Catullus carm. 62. vs. 3. *pingues mensas* appellat. Scriptura *grandes*, quam Casaubonus aliique tuentur, glossa illius videtur, et quidem inde profecta, quod *pingues* aliud quid significare volebant, quam *crassa* eiusdem versus. Sed *crassa tuceta* continent partem coenae splendidae, ideoque pinguibus patinis h. l. firmandis inserviunt. Agitur deinde de corruptâ valetudine et matura morte, quam sibi luxuriosi

variis delicatorum ciborum generibus contrahunt. Cf. Martial. lib. XII. ep. 48. vs. 9. sq. *Mullorum leporumque et suminis exitus hic est, Sulfureusque color, carnificesque pedes.*

Vs. 47. *in flammas* — Sic e codd. pro *in flammis* ad Graecorum consuetudinem. Simile exemplum Catonis de r. r. c. 156. *Brassicam in aquam macerare oportet.* Vid. Vossium de grammat. lib. VII. c. 65. Conferas tamen Catull. c. 90, 6.

Vs. 48. *opimo ferto* — i. e. pingui libo, quod Casaubonus pro omni sacrificio positum putat. Vid. Gesnerum in lexic. et Vossium in Etymolog. s. h. v. Certe victima, vel victimae pars intelligenda est, quum animalibus sacrificandis greges imminui dicantur. Fortasse tamen rectius est *farto*, quod non minus in multis codicibus invenitur, siquidem id exta significat variis rebus impleta. Cf. vs. 80. *pulmone et lactibus unctis.* Titinius apud Non. c. 4. p. 270. *Farticula, cerebellum, lactes agninas.*

Vs. 52. *Crateras — Craterras*, quam praecipit Casaubonus, falsa est scribendi ratio. Cyrillus in Glossario: κρατῆρ, cratera. Vid. Casp. Barth. ad Stat. Theb. II, 76.

Vs. 54. *Excutiat guttas laetari praetrepidum cor* — Sic cum Reizio, Passovio et Orellio. *Excutias*, quae est omnium fere codd. scriptura, ortum videtur, quod *sudes* antecedit. Ea tamen sic potest explicari, ut cor praetrepidum accusativos, per gradationem antecedentibus additos dicamus. Dicit ὑπερβολικῶς, ei prae gaudio ipsum cor excuti, s. exilire.

Vs. 55. *Hinc illud subito* — Hoc sumsi e codice Parisiensi, quod huic loco aptius mihi videtur altero *subiit*. Sententia est: Quod tu nimis magni facis divitias, inde subito fit, quod deos, quasi eadem tua cupiditate teneantur, colis auro summa cum laetitia accepto. Enimvero *ovatum* refero ad verba *incusaque pingui Auro dona feram*, non ad aurum e manubiis. Neque hiatu offendimus. Vid. Iuven. Sat. XIV, 49. *Sed peccaturo obstet tibi filius.* Sat. XIII, 65.

Vs. 61. *O curvae in terras* — Ioannes Murmellius dedit ex Lactantio 2, 2. habetque edit. Venet. an. 1492. et Ascensius in edit. Lugdun. an. 1510. qui Ovidianum comparat: *Pronaque quum spectent animalia cetera terras* etc.

Vs. 62. *Quid iuvat, hos* — Sic scripsi cum Passovio, qui *quid iuvat hoc* non latine dictum putat, et illud in codice Dresdensi invenit.

Vs. 63. *ducere* — Marklandus ad Statium p. 133. a. *dicere* proponit.

Vs. 67. *crudo de pulvere* — Censor Heidelbergensis *de pondere*, loco Lucani VI, 403. allato: *In formam calidae per-*

cussit pondera massae. Sed vulgata *pulvere* iam a Forcellino recte de metallica farina intelligitur, et accuratius explicatur a viro docto in Ephem. litt. Heidelberg. 1814, p. 482, qui Plinii verba XXXIII, 4. affert: *Quod effossum est, funditur, lavatur, uritur, molitur in farinam.* Ut hic *farina*, sic eadem significatione etiam *pulvis* invenitur apud Plin. c. 5, lib. XXXIII: *Pulvis semper in catinos digeritur, et ex aceto maceratur, ut omnis duritia solvatur: ac rursus tunditur, dein lavatur in conchis, siccaturque.*

Vs. 69. *In sacro* — Haec Persii verba respiciens dicere solebat Alexander Severus: *in sanctis quid facit aurum?* Plures libri mss. et veteres editiones *in sancto* habent, quod item ex serioris aevi latinitate ortum videtur. Receptum *in sacro* codicibus et editionibus firmatur, et, quod gravissimum est, vulgari dicendi ratione. Vid. Casp. Barth. ad Statii Theb. lib. II, 521. lib. III, 451.

Vs. 74. *incoctum generoso pectus honesto* — Bene se habet, neque mutandum erat a Passovio in *generosum pectus honesto.* Nam etsi Lactantius 6, 2. Persii verba respiciens *peotore, quod naturali sit honestate generosum* dedit, ex altero tamen loco lib. 2, 4., ubi idem ad eadem satirographi verba recurrit, manifestum fit, mutationem illam liberam esse, factamque ex eius arbitrio. Neque, quod Orellii eclogarum censor Ienensis doctissimus fecit, duorum adiectivorum coniunctio, quorum alterum substantivi vicem sustinet, vituperari potest, quia alia huius usus exempla inveniuntur, et *honestum* inprimis frequentibus philosophorum disputationibus substantivi naturam induit. Vid. Tacit. Ann. lib. III. c. 70: *egregium honestum*, ibique Lipsium.

Vs. 75. *admoveam templis* — Solus Ovidii locus Metam. VII, 594. *admotos templis tauros* Wagnerum deterrere poterat, quominus ex Catone de r. r. c. 134. rarissimum *obmoveam* Persio obtruderet. Conferas praeterea Tacit. Ann. lib. II. c. 69. *admotas* (aris) *hostias.* Amm. Marcellin. lib. XXIV. c. 6. *admotos aris tauros.* Sueton. Calig. c. 32. *admota altaribus victima.* Livius lib. X. c. 38. *admovebatur altaribus miles, magis ut victima.* Plura invenies apud Brissonium de formulis lib. I. p. 14. Pitiscum ad Suet. l. l. Lipsium et Ryckium ad Tacit. l. l.

SATIRA III.

Vs. 9. *Finditur Arcadiae—dicas.*—Haec genuina scriptura est: altera *Findor, ut* ex compendio scribendi male intellecto

in libros irrepsisse videtur, quam, si Casauboni explicationem spectamus, ineptam appellem. Illa autem sensui maxime accommodata est. Quum enim paeta animadverterit, *turgescit vitrea bilis*, statim huius rei effectum *Finditur* addit, h. e. ira disrumpitur et ita in servos ad se non accurrentes exclamat, ut Arcadicos asinos rudere dicas. *Dicas* pro *credas* stabilitur Ausonii epigrammate 76: *asinos quoque rudere dicas, quum vis Arcadicum fingere, Marce, pecus.* Ceterum compares *findi* cum Chrysostomi, Homil. XI. in ep. ad Eph. διαπρίεσθαι τὰ σπλάγχνα.

Vs. 12. *queritur* — *Querimur*, ut vs. 14., in codd. quibusdam apud Achaintrium, et editionibus maxime recentioribus, quod primum ex vitio scribendi exortum, deinde voce *stertimus* vs. 3. confirmatum videtur.

Vs. 17. *pappare minutum* — *lallare* — Pro *minutum* nonnulli, teste Britannico, *minutal* habent, qui tamen cibus infantibus non convenit. *Pappare* quid sit puerili dialecto, ambiguum non est, sed interpretes in explicanda voce *lallare* inter se differunt. Alii id dicunt esse h. l. *bibere, lac sugere*, alii *ad somnum invitare.* Gesnerus in thesauro s. h. v. affert Hieronymum, Persii imitatorem, epist. I. ad Heliod. Monach., qui verbum *lallare* priori significatione sumsisse videatur: *Forsitan et laxis uberum pellibus mater, arata rugis fronte, antiquum referens mammae lallare congeminet.* Utrumque vox significare potest; est enim, ut pappare, gr. βρῦν et alia (vid. Aristoph. Nub. 1372 sq.) de sono *la la* facta, quem nutrices, quum pueris vel dormire, vel lactere praeciperent, adhibebant. Hoc loco cantilena nutricis est, ad soporem invitantis; hinc *lallus*, et apud Ausonium ep. 16. vs. 90. *lalli somniferi modi.* Graeci dicunt βαυκαλίζειν, βαυκαλᾶν, καταβαυκαλίζεσθαι, καταβαυκάλισμος. *Mammae* non est dativus, sed genitivus; pendet a *lallare*, quod mammae proprium est, quodque pro ipso nomine ponitur.

Vs. 21. 22. Ad tautologiam, quae verbis insit, tollendam Casaubonus *respondens* pro *respondet* scribendum putat, et censor quidam Heidelbergensis: *sonat vitium percussa maligne, Nec splendet viridi non cocta fidelia limo.* Sed praeterea quod tum multi loci apud poetas latinos, satiricos praesertim, corrigendi essent, in quibus similia inveniuntur, nonne rursus, si *sonat vitium maligne* coniungi velis, tautologia exoritur? Neque ipsa contextus ratio correctionem istam admittit. Poeta enim non de externa hominis delicatuli specie loquitur, sed de animo eius excolendo. Tamen vir ille doctus hanc verbis sententiam subdit: ein ungebranntes Gefäss

verräth sich nicht blos durch sein Inneres, d. i. seinen dumpfen Klang, sondern auch durch sein Aeusseres, dass ihm nämlich aller Glanz fehlt.

Vs. 23 sq. Citat hos versus Petrus Blesensis epistola 74: Videtur mihi pater eius longe damnabilior in hac parte: nam cuum filium suum in pueritia sanctis et honestis moribus informare debuerit, ingenium illius exercitavit in alea variaque lenociniorum turpitudine depravavit. Tunc quidem erudiendus erat, et ad omnem formam suscipiendam idoneus tanquam *udum et molle lutum nunc nunc properandus et acri fingendus sine fine rota:* nam (Horat. lib. I. ep. 2, 64.) *fingit equum tenera docilem cervice magister, ire viam qua monstrat eques.*

Vs. 25. *cultrixque foci secura patella.*—Patellam h. l. deorum esse, inde colligi possit, quia salinum antecedit, quae quidem duo vasa laudatae paupertatis propria dicuntur. Vid. Valer. Maxim. lib. 4. c. 4. "In C. vero Fabricii Q. Aemilii Papi principum seculi sui domibus argentum fuisse confitear oportet. Uterque enim patellam deorum et salinum habuit." Plin. hist. nat. lib. 33. c. 12. pag. 632. ed. Hard. Cic. IV. in Verrem 21. Nihilominus tamen Meistero in novissimis curis pag. 90. sq. assentior, patellam h. l. vas coquinarium dicenti. Id, si totius loci sententiam spectamus, iam comprobant verba *cultrixque foci secura. Purum salinum* recte explicatur ex Horat. Od. II, 16, 13. *Vivitur parvo bene, cui paternum Splendet in mensa tenui salinum.* ubi vid. Mitscherlichium, Doeringium, qui Meursium ad Lycophr. vs. 135. afferens ait, ad externam munditiem salinorum inprimis bene politorum splendorem pertinuisse. *Sine labe*, insuper additur, quod Romani salinum pro re sacra habebant. Arnobius II. adv. gentes: *sacras facitis mensas salinorum appositu et simulacris deorum.* Aliter intellexit verba Camillo Silvestri in versione italica: *e non ti manca Di puro, e terso argento il salarino:* quae, si vera, Plinii epist. lib. III, 1. verbis stabilienda essent. *Apponitur*, inquit, *coena non minus nitida, quam frugi, in argento puro et antiquo*, i. e. non multo labore caelato atque exornato. Sic quoque pura alibi vasa, i. e. sine emblemate, caelatura. Cf. Torrent. ad Horat. Od. II, 16, 14. Heindorf. ad Sat. I, 3, 13.

Vs. 26. Nonnulli male interpungunt post salinum; comma ponendum, et verba *Quid metuas?* parentheseos signis includenda sunt.

Vs. 29. *Censoremque tuum* — Ita cum Passovio, Achaintrio, et Orellio. Plures codd. et vetus scholiastes *censoremve,*

quod non quadrat; Casaubonus ex ingenio dedit *censoremne*, idque tenent eius pedissequi.

Vs. 35. sq. Ut hi versus, quum in hac satira de iuvenibus ad litterarum studia incumbentibus agatur, ad rem aptiores sint, Achaintrius et Sélis, qui idem de satira quarta contendit, Neronem, ad saevitiam atque scelera maxima inde a pueritia iam propensum, tangi et designari existimant. Sed haec verba in universum dicta sunt, et amant poetae satirici orationis diverticula.

Vs. 38. *Virtutem videant* — Duo codd. apud Achaintrium et nonnullae veteres editiones, quas praeter Passovium recentior sequutus est nullus, particulam *ut* interpositam habent, quae sine dubio a librario profecta est, qui post verba *Haud alia ratione velis* exspectaret *quam ut*, illud tamen metro coactus omitteret.

Vs. 43. *et intus Palleat infelix* — i. e. in intimo pectore conscientia eorum scelerum palleat, quae uxori narrare non audeat. *Intus*, quum causam i. e. conscientiam, cur quis crucietur, indicet, intelligendum est, ut graec. ἔνδοθεν vel ἔσωθεν apud Aeschyl. Pers. vs. 10. i. e. von innen heraus. Vid. Taubman. ad Plaut. Pers. II, 4, 31. et al. Relegandā igitur est coniectura censoris Heidelbergensis *Ardeat infelix*, utpote antiqua lectione multo infirmior, quam vir doctus sine dubio dedit similitudine duorum Ovidii locorum Heroid. IV, 19—20. et Fast. III, 489. deceptus. Ad coniunctivum *nesciat* explicandum ad *palleat* suppleamus necesse est *id*, i. e. eiusmodi quid. *Pallere* enim ponitur cum accusativo. Vid. I, 124. Huschk. in Anal. p. 29.

Vs. 44. *oculos tangebam* — Hoc bene. *Tingebam*, quod maxime in editionibus antiquis invenitur, quodque *inungere* significat, non aptum est puero, oculorum caliginem eo consilio simulanti, ut a declamatione ediscenda liberetur. De vario olei genere ad oculorum claritatem maxime conferentis plura habet Plinius Hist. nat. lib. 23. c. 4. pag. 308. p. 310. p. 297. p. 309. ed. Harduin. Eandem ob causam non ferendum est, vs. 46. *Dicere*, quod Achaintrio, veterem scholiastam et tres codd. sequuto, arridebat. Nam puer ediscendi labori se subtrahere volebat. Et quum *Dicere* stare nequeat, idem valet de dativis *morituro Catoni*. *Grandia verba* innuunt non vere grandem, sed tumidam et ventosam orationem. Vid. interpp. ad Petron. Satir. c. 1. sqq. *Non sano* veram esse lectionem, reliquasque *insano*, *et insano*, *ab insano* inde originem duxisse, bene iudicavit Orellius. Eadem compositio invenitur vs.

118. Propert. I, 1, 26. *non sani pectoris auxilia;* idem I, 3, 8. *non certis manibus.* I, 4, 18. *non tacitis vocibus hostis erit.* i. e. laute Worte. *Non sanus* magister dicendi appellatur, quia postulabat a puero, quae eius aetati et ingenii viribus non convenirent.

Vs. 47. *sudans* — i. e. prae laetitia, ut recte explicuit Britannicus. Barthius ad Statii Sylv. lib. IV, 4, 45. haec dicit: "Eloquentia laudatissima in adolescentibus, quia ad summos honores utilissima et prima promotrix ornatrixque. Unde in scena Eumolpiana apud Petronium (c. 117.): *Post peractum sacramentum serviliter ficti dominum consalutamus, elatumque ab Eumolpo pariter condicimus, iuvenem ingentis Eloquentiae et Spei.* Sic primam in adolescente Gratiano facundiam laudat Ammianus lib. XXXI. *Gratianus, praeclarae indolis adolescens, facundus, moderatus, bellicosus, clemens.* Inde generatim Spes liberorum ab Eloquentia pendebat. Persius Sat. III.

Quae pater adductis sudans audiret amicis.

Scholiastes antiquus: Sudans] Id est sollicitus de spe filii recitantis."

Vs. 50. *angustae collo non fallier orcae* — Ex quo Casaubonus *orcam* de *τρόπᾳ* i. e. auctore Polluce lib. IX, 103. lusu *ἀστραγάλων* et *βαλάνων*, quibus pro talis utebantur, intellexit, eum hac in re plures, ut Achaintrius et Orellius, sequuti sunt. Sed tenenda est antiqua interpretatio, quam nuper vir doctus in actis litt. Ienens. mens. Oct. 1822. n. 198. p. 128. defendit. *Orca* est pyrgus s. turricula Martialis. Vid. Perottum in Cornu Cop. p. 1040, lin. 50.: "Est enim talus ossis genus, non plani, sed omnibus quatuor lateribus parum concavi, quo ludentes turricula utebantur, quam Persius Sat. III. *orcam* vocat." Eundem cf. pag. 801, lin. 52. Beroaldus in Ann. §. 21. "Nos autem, inquit, pyrgum esse dicimus illud vasculum, quo coniecti tali agitati mittuntur, cuius effigiei instar turriculae est, unde nomen mutuatur. — A Persio per quandam similitudinem eleganter *orca* nominatur. Haec est illa turricula sive pyrgos, quae alio nomine fritillus identidem a poetis appellatur. Fritillum autem esse idem, quod pyrgum, ostendit aperte Porphyrio, qui apud Horatium pyrgum dicit significare." Ad Persii locum melius intelligendum afferam Horatii scholiastam ad Sat. II, 7, 17. "in pyrgum s. fritillum, ex quo agitatae tesserae mittuntur in tabulam. Est autem phimus instrumentum ligneum stricti oris, ex quo coniiciuntur tesserae, ne possit falli is, qui cum alio (altero) ludit." Orcā in eandem rem adhibetur a Pomponio apud Priscianum 3,

9. p. 615.: „Interim dum contemplor orcam, taxillos perdidi.“ Cf. Vossii Etymologicum. Turricula s. orca excavata intus gradus habebat, per quos rotatim volutabantur tali. Hinc Martialis IV, 4.: *Incertis sonat hinc et hinc fritillis, Et ludit rota nequiore talo;* ubi cum Brodaeo Miscellan. X, 26. *tropa* non est scribendum. Stabilitur insuper *rota* versibus Ausonii Prof. I, 25. *Vidimus et quondam, tabulae certamine longo, Omnes, qui fuerant, enumerasse bolos, Alternis vicibus quos praecipitante rotatu Fundunt excussi per cava buxa gradus;*. Conferas de hoc lusu Turneb. VI, 3. XXII, 10. Beroald. Ann. 21. Casaubon. ad Theophr. p. 187. Salmasium Plin. Exercitt. p. 50, 6. A. Vopisc. Procul. c. 13. Souter. Palam. I, 3. Samuel. Pitisc. ad Sueton. August. c. 71.

Vs. 49. *damnosa canicula quantum raderet* — Canis infelix iactus etiam a Propertio IV, 9, 18. et bis ab Ovidio Trist. II, 474. et art. am. II, 208. *damnosus*, et a Plauto Curc. II, 3, 78. quod pecuniam raperet, *volturius* dicitur. Vid. Lips. Antiq. lectt. I, c. 21. Rhodigin. lib. 8. c. 18. Pitisc. ad Sueton. Aug. 71.

Vs. 53. *De braccatis Persis* vide Herod. I, 71. Perizon. ad Aelian. var. hist. lib. XII. c. 32. De *portico*, in qua Zeno docebat, conferas, quae dicit Menagius ad Diog. Laert. 7, 5.

Vs. 54. *detonsa* — Lucian. Hermot. c. 18. ὁ πώγων βαθύς, καὶ ἐν χρῷ ἡ κουρά. Stoici erant ἐγκυτὶ κεκαρμένοι, sed πωγωνοτροφοῦντες. Hinc iudicari licet, unde *indetonsa*, quod cod. Achaintrii, Turicensis et codd. Britannici habent, originem ducat.

Vs. 56. *deduxit* — Hoc melius est, quam quod dedi *diduxit*, Servii verbis ad Virgil. Aen. VI, 136. deceptus. Novimus, inquit, Pythagoram Samium vitam humanam divisisse in modum Y literae. Sed gravior est Isidori Orig. lib. I. c. 3. auctoritas, qui hunc locum sic explicat: "Y literam Pythagoras Samius ad exemplum vitae humanae primus formavit, cuius virgula subterior significat primam aetatem, incertam quippe, et quae adhuc se nec vitiis nec virtutibus dedit. Bivium autem quod superest, ab adolescentia incipit: cuius dextera pars ardua est, sed ad vitam humanam tendens: sinistra facilior, sed ad labem interitumque deducens. De qua sic ait Persius: Et tibi quae Samios deduxit litera ramos, Surgentem dextro monstravit limite callem." De commutatione vv. *deducere* et *diducere* vid. Drakenb. ad Sil. Italic. 15, 187.

Vs. 61. *sequeris corvos testaque lutoque* — Graeca proverbialis dictio est τὰ πετόμενα διώκειν. Cf. Blomfield. ad Aeschyl. Ag. 385.

Vs. 66. *Discite, o miseri, et* — Haec antiqua scriptura est, quam propter hiatum Passovius et Orellius interposita particula *et* fulcire voluerunt. In editione Veneta an. 1449. d. 4. m. Novbr. et Lugdunensi 1510. die 20. m. Nov. *disciteque, o miseri*, scriptum invenitur; ita quoque ap. August. II. civit. Dei 6., ubi de Vivis duos hos versus illustrat. Sed minus offensionis habet hiatus, si syllabis elidendis interpunctio intercedit.

Vs. 74. *pinguibus Umbris* — Athenaeus lib. XII. *τὸ τῶν Ὀμβρικῶν ἔθνος ἐπιεικῶς εἶναι ἀβροδίαιταν, παραπλησίως τε βιοτεύειν τοῖς Λυδοῖς, χώραν τ' ἔχειν ἀγαθήν· ὅθεν παρελθεῖν εἰς εὐδαιμονίαν.* Catullus 39, 11. *Aut pastus* (Scal. porcus, alii parcus) *Uber, aut obesus Etruscus.* Vid. ibi Doering. Taubmann. ad Plaut. mil. glor. act. III. sc. 1. vs. 53. Scalig. in Coniectan. ad Varr. p. 17.

Vs. 78. *quod satis est, sapio mihi* — Sic bene codd. Wimariensis, Chemnicensis, Achaintrii omnes et plures antiquae editiones. Alterum *quod sapio, satis est mihi*, non tam aptum est centurionis superbi, at inculti, moribus. Is enim, mihi, inquit, sapio, quantum satis est, non expeto peregrinam sapientiam. Propterea igitur, quod *mihi* aperte oppositionem facit, necessario id coniungendum est cum *sapio*. Sic *sibi* et *alteri* inter se opponuntur apud priscum poetam in Cicer. lib. I. de divinat. c. 133. *Qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant viam.*

Vs. 85. *Hoc est, quod palles? Cur*, quod cod. Thuaneus ap. Achaintrium, editiones duae Venetae an. 1449. et 1492, Lugdunensis an. 1510. et editio Murmellii habent, glossa vocula *quod* videtur esse. Censor Heidelbergensis comparat Virgil. Aen. II, 664. "Hoc erat, alma parens, quod me per tela eripis?" Casaubonum vituperans, quod Senec. epist. 48. "Hoc est, quod tristes docemus et pallidi?" afferat, ubi *quod* relativi vim habeat. Sed nihil impedit, quominus etiam hoc Persii loco *quod* relativum sit, quum *pallere* cum accusativo construatur. Vid. Sat. I, 224.

Vs. 86. *His populus ridet* — h. e. de eiusmodi dicteriis et convitiis, quae philosophis fiunt, rident inculti Romani, quo quidem risu se idem de philosophis sentire indicant, quamquam ipsi, quid sentiant, non eloquuntur. Egregie itaque Persius centurionem introducit populi sensorum interpretem, quod hominum genus, quamvis rude, arrogans et magniloquum erat. Eadem propemodum Casauboni est interpretatio, qui tamen *ridet* per *arridet, assentitur, plaudit* explicat. Cum Didoti sententia "aussi le peuple se moque d'eux" congruit scriptura *Hos*, quae in nonnullis libris invenitur. Sed utram-

que explicationem et Casauboni et Didoti improbat censor Heidelbergensis et aliam proponit, ex qua *his* idem sit, quod *hoc modo* i. e. mit solchen Spöttereien. Statuit nimirum epiphonema, cuius exemplum ex Sophoclis Electra vs. 293. *τάδ' ἐξυβρίζει* affert.

Vs. 89. *exsudat* — Casaubonus et Achaintrius *exsuperat* non minus ac Passovius et Orellius *exuberat*, e codicibus receperunt, quorum hoc metro repugnat, illud autem vulgatae constructioni. Vid. Heidelberg. censorem Σ an. 1814. p. 482., qui tamen *exuberat* tueri studet loco Val. Flacci 3, 234. *sanguis exuberat ulna*. Alter censor Heidelbergensis K. F. p. 1034., qui omnes ad hunc locum notatas lectiones depravatas censet, *exundat* coniecit, quod a librariis, quibus inusitata haec metaphora visa fuisset, corruptum sit, quodque apud poetas nonnunquam de halitu, ut ap. Silium Italicum 6, 455. occurrat. Cf. Burmann. ad Valer. Flacc. 4, 595. 660. et Heins. ad Sil. Ital. 7, 355. Ac profecto facillime potuit *exundat*, lineola supra omissa, in *exudat*, *exsudat* abire, ut illud iam antiquitus in libris fuisse putem, cuius quidem *exuberat* glossema videtur. Sic utrumque coniungitur a Tacito de orat. c. 30. *Exundat et exuberat illa admirabilis eloquentia*. Inde tum *exsuperat* exortum est. Ut enim *exudo* cum *exundo*, sic quoque *exubero* cum *exsupero* confundebatur. Vide interpp. ad Sil. Ital. I, 57. ad Columell. 10, 432. et ad Calpurn. 4, 104. Sed quia *gravis halitus* additur, *exudat* s. *exsudat* i. e. magno cum labore, minutatim vaporis modo emittitur" ceteris lectionibus praestantior est. Neque obstat huic lectioni, quod ex neutrali sensu accipienda est. Vide Virgil. Georg. I, 190. *sive illis omne per ignem Excoquitur vitium, atque exsudat inutilis humor*.

Vs. 93. *rogavit* — Alii libri *rogabit*, editio Lugdunensis an. 1510. die XX. Novemb. *rogarit*, quam Passovius recepit. Quae lectionum diversitas fere ubique inventa, ubi perfectum hoc modo, ut ap. Iuv. Sat. XIV, 83, 134. III, 168. IX, 80. usurpatur, originem inde ducit, quod librarii latinae linguae indolem ignorabant. Perfectum aoristi h. l. vim habet.

Vs. 96. *ne sis mihi tutor* — Isidorus Orig. lib. X, 5. lit. T. ad haec verba alludit: "Tutor qui pupillum tuetur, hoc est intuetur, de quo in consuetudine vulgari dicitur, *quid me mones? Et tutorem et paedagogum olim obrui*."

Vs. 100. *trientem* — Casaubonus eiiciens *trientem* ut falsum, e coniectura, quod Achaintrius autumat, *triental* dedit. Gesnerus in thesauro breviter dicit: Triens poculum quatuor cyathos continens. Pers. Sat. 5, 100. *Sed tremor inter vina*

subit, calidumque trientem. Al. Triental. Propert. 3, 8, 29. *Quum fuerit multis exacta trientibus hora.* Sic Martial. 6, 86. et saepe.

Vs. 108 — 110. Hos versus medico et adolescenti ita tribui, ut a Passovio et Orellio factum est.

SATIRA IV.

Persius in hac quarta satira nimia cum acerbitate eos insectatur, qui in aliena vitia diligenter inquirunt, sed sua ipsorum vel ignorant vel dissimilant. Quae res quum in primis satirae versibus sub Alcibiadis persona pertractetur, detecta est iam antiquis temporibus a viris doctis inter eum et Neronem similitudo quaedam, non quidem in singulis partibus probata argumentis, sed in universum sumta et credita, interdum etiam, quod quidem Casaubonus fecit, aliquo saltem modo in dubium vocata. Verum Meisterus nuper in commentatione in Persii Sat. IV. Traiect. ad Viadr. 1807. et in novissimis Studiis, et ante eum Sélis, Francogallus, in libro, qui *Dissertation sur Perse* Paris. 1783. inscribitur, etiam demonstrare conati sunt, quae in Alcibiadem in hac satira dicta essent, Neroni recte accommodanda esse, et ille quidem tantis doctrinae copiis, tantoque ingenii acumine, ut tota eius argumentatio ab altera parte permire alliciat, ab altera suspecta videatur, ut si quis aperte falsa intentis viribus defendat. Quapropter Passovius optimo iure iurisconsultum illum in censura Ienensi a poetae ingenio eiusque satirarum indole refutavit, et censor Donnerianae versionis adversus eundem in iisdem actis litterariis an. 1822. n. 199. contendit, similitudinem inter Alcibiadem et Neronem in hac satira sumtam iam ea de causa probari non posse, quod hic imperator Romanorum fuerit, ille in libera republica vixerit. Ac profecto lubrica est eiusmodi comparatio, quod quidem inde optime cognoscitur, si ea in nonnullis partibus violenter arrepta est.

Vs. 2. *sorbitio* — Vid. Ioseph. Scalig. Coniectan. pag. 126.

Vs. 3. *magni pupille Pericli* — Meisterus opinatur sub Periclis persona tacite aut Burrhum, aut Senecam, Neronis tutores, intelligendos esse. Sed quanta inter utrumque et Periclem dissimilitudo fuit et ingenii et morum! Haec si ironia esset, eam ineptam et inficetam nominarem.

Vs. 4. et 5. Neque in his comparatio Neronis cum Alcibiade scite institui potest; hic ultro sese accingit ad rempublicam administrandam, illi muturata virilis toga est, quo capessendae reipublicae habilis videretur; hunc mentis alacritas

et iuvenilis ambitio urgebat; illum Agrippinae artes et adulatorum turba. Opprobrio igitur Neroni non erat, quod maturius ad rempublicam adierat, sed iure Alcibiadi.

Vs. 8. *Maiestate manus* — Etiam haec verba Meisterus accommodavit Neroni, quippe ab eloquentia valde inopi, et qui compositis ab alio quopiam orationibus solam maiestatem manus adiungere didicisset. Affert hanc in rem Neronis laudationem Claudii Caesaris, a. L. Annaeo Seneca elaboratam, et quod seniores apud Tacitum Ann. l, 13. c. 3. adnotabant, Neronem alienae facundiae eguisse. Loquitur tamen poeta de turbulenta plebeculae seditione elata manu compescenda, nec constat, nec credibile est, Neronem in eiusmodi concione unquam verba fecisse. Quae verba si praeter Alcibiadem alios quoque pungant, iuvenes Romanos intelligas, qui populum cum superbia quadam allocuturi, tanquam eloquentia sua confisi, manum porrigerent, sed quid iustum iniustumque esset, penitus ignorarent. Quare addit: *Quid deinde loquere? Quirites, Hoc, puta, non iustum est: illud male, rectius illud:* ubi imperitia illa egregie notatur verborum permutatione, atque sic iusti iniustique notiones inter se confunduntur. Meisterus contra haec referenda censet ad Neronis consuetudinem, de qua Suetonius vit. Neron. c. 15. loquitur, omnia pro lubitu discernendi. — *Pută* recepi auctoritate Prisciani p. 1002. Putschii, i. e. verbi causa, quod magis placet quam *puto*. In proximis particula *etenim* ironiae inservit, quae usque ad vs. 13. producitur. Sententia est: Tu, qui ista iusti iniustique scientia instructus es, animadvertas, quantum a vero politico distes. De verbis *regula curva subit* etc. vid. Gesnerum in lexico s. v. *varus*.

Vs. 9. *Illud* — Passovius *istud* cum aliis, sed *illud* plurimi habent libri mss., et nonnunquam in distributionibus repetitur. Martial. lib. VII, 9. *quid ad te, De cute quid faciat ille, vel ille sua.* Vid. Horat. Tursellin. p. 390 sq.

Vs. 13. *nigrum* — *theta* — Vid. Ioseph. Scalig. Coniectan. pag. 230.

Vs. 14 — 16. *Quin tu igitur* — Sententia est: Tu igitur, cui pulchritudo corporis in republica administranda nihil prodest, desine populo, qui blanditiis maxime ducitur, te iactare sc. *ante diem* i. e. quum nondum eam aetatem nactus sis, qua necessaria rerum cognitione exstructus civitatem optime regere possis; tu potius Anticyram adi et helleboro mero te purga ab ista tua insania." De hoc usu particulae *quin* vid. Ramshornii gramm. lat. pag. 494. Haec omnia, ut a Casaubono satis superque demonstratum est, Alcibiadi bene

conveniunt, non item Neroni. Quia Nero, ut Suetonius c. 51. refert, corpore maculoso et foedo erat, non poterant illa *summa nequicquam pelle decorus*, quod quidem *decorus* postulat, verbotenus explicari, eaque Meisterus ad velamenta referebat, quae Nero flagitiis et sceleribus fere ad annum usque u. c. 811. quaesiverat, quae tamen eo ipso tempore magis magisque levata, sensim neglecta, extremo manifestam per impudentiam abiecta erant. Sed vir ille sagacissimus in hac quaestione non animadvertebat verba *ante diem*, quae sane magni h. l. momenti sunt. Ea significant idem, quod supra *ante pilos*. Iam vero Caesar ann. 811. vel 812. et quod excedit, quo temporis spatio scelera eius in publicum exierant, primum et vicesimum agebat annum. Dominatum enim 808. u. c. septemdecim natus annos occupaverat. Num aetas eius etiamtum immatura erat ad imperium tenendum? Nonne insanum fuisset, si Persius a Nerone postulasset, ut, quum iam per tempus aliquod regnasset, populo blandiri desineret? Ceterum non video, quomodo verba *ante diem*, si ea ita, ut Meisterus, velis interpretari, sententiae reliquorum verborum bene accommodari queant.

Vs. 17—22. Mera somnia h. l. exsudavit Meisterus; inprimis vexabant eius ingenium verba *haud aliud respondeat haec anus*, quibus interrogandi signum apponit, ut significent" haud aliud? nec peius quidquam, respondeat mulierecula?, nihil tamen respondet illa, etsi opus est, ut respondeat. Quid igitur facit artifex interpretandi? Poetam fingit responsionem ex ipso mulieris vultu cognoscere, ut tum per sannam aliquam aut mussitationem "I nunc" triumphans exclamet. Qnam vivida est Meisteri imaginandi vis! Modo eandem habuerint poetae amici, quibus solis hanc satiram scriptam ait; praeterea vereor maximopere, ne ii verba ista longe aliter intellexerint. Venerat autem vir doctus in hanc sententiam, quia ieiunum consilium existimabat, cum mulierecula fori herbarii de finibus bonorum et malorum disputandi. Ubi vero vestigium eiusmodi disputationis deprehenditur? In cognoscendo summo bono tu, Alcibiades, inquit poeta, non differs ab anicula herbarea; sicuti tu fines bonorum in iucunde vivendo ponis, ita etiam illa. Etenim interrogata, quod eius sit vitae propositum, nihil respondebit, nisi se lucrum spectare, inde ut vitam sibi suavem comparet. Vides igitur, quam similis illius hac in re ad rempublicam administrandam accesseris. I nunc, intumesce, gloriare quantumvis de generis tui claritate, iacta, quam formosus sis, nihil te iuvat. Equidem facile tibi hoc concedam, dummodo

fatearis, Baucin pannosam herbarum venditricem non minus, quam te, sapere, i. e. non minori quam te, sapientia praeditam esse, quum venalia ocyma tarde transeunti servo celebraverit." Optima est in his cogitationum cohaerentia, et tamen Meisterus eam discordem et pessimam appellat, eo scilicet consilio, ut ipse inveniat novam et inauditam. Nam maxime contorta est eius interpretatio verborum *Dinomaches ego sum — Sum candidus.* "Acrius, inquit, cuncta haec valent ad Neronem! Agrippinae ego sum! En, malitiosam aliquam ellipsin! Agrippinae! Quisnam! filiusne? an amator?" Sed ellipsis ista vulgaris est, et nihil habet quaesiti. Sumas haec ad Neronem spectare, tamen *filius* tantum suppleri iam 'ea de causa potest, quod *Dinomaches ego sum* ad Alcibiadem proprie pertinent. Amatorem simul tum suppleri liceret, si Alcibiadem etiam cum matre sua rem habuisse constaret. Quod quum notum non sit, nec admitti potest altera Meisteri ellipsis, ideoque non solum praecipua eius disputationis pars concidit, sed etiam actum est de concinniore, quam assequi volebat, sententiarum coniunctione. Ita enim coniungit: Esto, te simul amatorem Agrippinae fuisse,

Dumne deterius sapiat pannucea Baucis,

hoc est manifesto, dumne res multo peiores de te redoleant vetulae huic!" Deinde rursus in angustias redactus est verbis *sum candidus* Neroni accommodandis. Audi interruptam explicationem: Si filius: formosus et ipse sum, quippe ex muliere formosissima natus." En subitam Neronis formositatem! Profecto nihil felicius Meistero accidere potuit, quam ut Nero, qui foedissimo erat corpore, matre uteretur formosissima et ipse se idcirco pulchrum nominare posset. — Sed ut cogitationum series, quod eam ellipsi, quae nullo modo constitui potest, producit, improbanda est, sic quoque ea tollitur, quod verbo *sapere* significationem, quae non inest, subiecit. *Sapere* enim non est *redolere*, *scire*, sed *sapientem esse; deterius* i. e. *minus*, ut apud Horat. Sat. I, 90. *si placeant spe Deterius nostra.* Vid. Heindorf. ad h.l. Quod quum verum sit, etiam explicatio verborum *ocyma* et *bene discincto* falsa nominari debet. Nam quum verba *dumne deterius sapiat* interpretetur: dumne peiores res redoleant, i.e. te libidinibus enervatum esse, ocyma significare contendit herbam hortensem, odoratam, τὸ λεγόμενον βασιλικόν, quod auctore Plinio H. natur. XII. c. 12. Venerem stimulet, et bene discinctum vernam dicit esse, qui dissolutus quoque Neroni in intimis cubiculi recessibus ministret. *Ocymum* autem, ut h. l. scribendum est, nebuli genus erat (vid. Plin. lib. 18. c. 16.)

et *bene discinctus* i. e. valde discinctus, qui negligenter, otiose, tarde incedit. Censor Donneri versionis germ. Ienensis *discinctum* interpretatur vernam celeriter transeuntem, ideoque negligenter cinctum, quae tamen vis verbo non inest, quum id opponatur v. *succinctus* i. e. strenuus, industrius, ad opus paratus. Vid. Servium ad Aen. lib. I, 214. Quamquam mulier herbaria—haec est verborum sententia—vernam in via negligenter ambulantem, ad negotia non expeditum, ideoque ad emendum non accedentem i. e. non succinctum animadvertit, tamen ei herbas suas, tanquam emturienti, clara voce commendat, ad quod nimirum sola lucri cupiditate ducitur. — Ceterum, ut hoc quoque commemorem, Ioan. Scoppa in Sylloge IV. Collect. c. XI. pro *ocyma* proponit *otia*, i. e. libidines, quae ex otio proveniant, ut ex illo Ovidiano colligitur: *Otia si tollas periere Cupidinis arcus*". Baucis ei est vetula et meretrix, verna discinctus, servus libidinosus. Vernae namque, inquit, natura sunt procaces atque libidinosi. Ideo vernae pronuntiaverit, quoniam ob senectam ab aliis lucrum facere nequit.

Vs. 23 — 32. Hic, ut iam Koenigius animadvertit plane novus rerum nascitur ordo. In antecedentibus, ubi poeta, Alcibiadis exemplo usus, exposuit, homines praecepti illius γνῶθι σεαυτὸν immemores, res suscipere, quas eorum humeri ferre recusent, alterum nunc addit vitium, quod cum ignorantia sui ipsius coniunctissimum est, aviditatem aliorum vitia carpendi, idque perinde exemplo confirmat. Hactenus audiebatur de Alcibiade, sive, ut Meistero placet, de Nerone. Is tamen eius vituperationem longius productam existimans etiam in his, quae in universum dicta sunt, singula detexisse sibi videtur, quae optime in Neronem transferri possent. Sed quam artificiose, quamque subtiliter id factum sit, quisque, verbis poetae consideratis, coniicere potest. Primum vs. 24. indicari contendit sub *praecedenti* Neronis antecessorem Claudium Caesarem, et calumnias ab illo in hunc multis modis coniectas. Quis tamen hunc sensum verbi *praecedere* omnino ferat, hoc praesertim loco, ubi Persius ad Phaedri fabulam IV, 9. aperte respexit? Quis deinde verbis *nostin' Vectidi praedia? — Dives arat Curibus* etc. Imperatorem Romanorum intellexerit? Ipse huius interpretationis auctor bene sensit difficultatem: quare nomine mutando ita quidem, ut Claudius magis insigniretur, ex laqueis voluit se expedire. Scribi vult *Ventidi*, adductis propterea Suetonii verbis c. 33.: "meditatus edictum, quo veniam daret flatum crepitumque ventris in convivio edendi." Verum si hoc Persius tacite spe-

ctasset, misereret profecto nos eius, talium nominum inventoris, nec minus pusillus satirographus nominari mereretur, si ficto nomine Vectidii ea de causa usus fuisset, quod Claudius, poplitibus minus firmis, plurimum aut curru veheretur, aut lectica.

Porro quomodo sordida illa avaritia, quae h. l. Vectidio tribuitur, convenit Claudio, cui eiusmodi vitium plane incognitum erat? Profecto nimia cum subtilitate et dicam incredibili calliditate in hac re explicanda Meisterus versatur. Idcirco istud opprobrium Caesari defuncto Persium fecisse censet, ut ironice premeret taxatorum Claudii vestigia, eisque tacite indicaret cum cavillatione, quam prodigiose et Nero et pravissimi quique auxissent Claudii dedecora etc. Nonne tamen id insulse a poeta factum esset? Certe Claudii irrisores, si Senecae *ἀποκολοκύντωσιν* et quae Suetonius de Nerone c. 33. narrat, consideramus, in calumniis inveniendis multo facetiores erant.

Vs. 24. Citat hunc versum Petrus Blesensis ep. 45. "Temerarium est, si tuum delictum dissimulas et iudicas alienum. Verbum Satirici est: *Ut nemo in sese descendere tentat, nemo: sed praecedenti spectatur mantica tergo.*"

Vs. 33 — 37. Foeditates, quae h. l. describuntur, non modo in Neronem quadrant, sed omnino illorum temporum turpitudini conveniunt. Nulla est, quae non eadem de aliis apud satiricos scriptores, apud Martialem, Petronium aliosque inveniatur.

Vs. 37. *Tu quum maxillis balanatum gausape pectas* — Laudanda est docta Gesneri brevitas in lexico s. *gausape*. "*Gausape*, pro barba hirsuta et prolixa dixit Persius." Vid. eundem s. v. *maxilla*. "Maxilla etiam de parte exteriore dicitur, quae barbam emittit. Persius Sat. IV, 36. i. e. barbam e malis crescentem; *maxillis* respondet in altero versu *inguinibus*." Improbat deinde Casauboni interpretationem. Eodem fere modo, sed fusius, Koenigius hunc vs. explicat. Eos, qui barba destituta essent, aut tenera lanugine tantum instructi, barbam sibi adscitiam parasse ait. Etiamsi moris fuisset barbam deponere, tamen iuvenes eam aliquamdiu ad vigesimum secundum aetatis annum et supra nutrivisse. Affert Octav. Ferrar. Elect. II, 12. Vide quoque Passovium in censura Ienensi plurium ad Persium pertinentium libellorum, cuius nota verbotenus propemodum a Donnero in commentar. repetita est. Iam sensum verborum ille egregie sic exponit: Tu qui faciem pilis adscititiis ornas, ubi natura pilos tibi negavit, cur depilas eas partes, quas natura pilis vestitas

esse voluit." Nero autem imberbis erat et sic in omnibus iconibus ostenditur: qua de causa si calamistratus h. l., ut Meisterus vult, et in *aliqua* genae parte prominentibus cirris obductus intelligatur, acerbitas et sales verborum misere pereunt.

Vs. 45. *Praetegit* — Sic plerique codices, Passovius *protegit*. Eadem lectionis diversitas est apud Propert. l. 3. eleg. 12. vs. 12.

Vs. 46, 47. *Egregium quum me vicinia dicat, Non credam?* Haec cum Meistero in Neronem quadrare putarem, nisi vererer, ne *vicinia* ad senatum, optimates, amicos, tutores significandos nimium vulgare verbum esset. Horat. Sat. I, 5, 106. *funus Egregie factum laudat vicinia.* Ep. I, 16, 44. *Sed videt hunc omnis domus et vicinia tota.*

Vs. 47. *Viso si palles, improbe, nummo* — i. e. ex Meisteri mente: "Visis nummis, iisque Corinthi, Argi, Romae tam recenter, tamque multipliciter percussis, ut ubique locorum sint obvii; visis hisce numis, tum qui matris faciem, vultui tuo blande obversam, tum qui, Aphrodites sub figura, corpus eius referunt nudissimum, incestuose! si palles, una nunc alteraque hora tacito Pudore correptus; in alia quavis ex ipsa libidinum, acri stimulo te pungentium agitatione." Haec nimium quantum subtiliter. Sane non improbarem hanc explicationem, si tale quid additum esset, quo nummi illi propius insignirentur, v. c. *turpi*, vel *libidinoso nummo*. Talis admonitio, etiamsi nummos cum Agrippinae imagine omnes ante oculos habuissent, nequaquam supervacanea erat aequalibus, qui linguae usum novissent, quique ex eo neminem, nisi avarum in his verbis descriptum intelligere possent. Cf. III, 109. *visa est si forte pecunia, cor tibi rite salit.* Persuasum quoque mihi est, si eiusmodi additamentum non deesset, Meistero periucundum fuisse, quamquam ipse satis prudenter dicit: "Quin offecisset satyrae, minuens eius subtilitatem, admonitio haec, aequalibus plane superflua."

Vs. 49. *Si puteal* — Recte Censor Donnerianae versionis Ienensis animadvertit, obscenam Meisteri h. l. explicationem idcirco probari non posse, quod glossa apud Brissonium, in qua summa demonstrationis nitatur, vehementer distorta ab eo sit, et alium plane, atque ipse velit, sensum prodat, quodque repetitum *si* postulet, ut aliud vitium a libidine antecedenti versu descripta diversum hoc versu indicetur. Ipsius tamen interpretatio perinde improbanda mihi videtur, quum dicit, puteal de praetoris tribunali, in quo ius dicatur, accipiendum esse, hominemque intelligendum, a quo iustitia

malis artibus corrumpatur. Vertit germanice der Gerechtigkeit eine Nase drehen." Enimvero Persii temporibus ius in eo tribunali, quum plures basilicae et plura fora ea de causa facta essent, non amplius dicebatur, aut, si id de imperatoribus narratur, raro tantum fiebat. Potestas istius tribunalis in priscae reipublicae tempora ableganda est. Vid. Samuel. Petisci lexic. Rom. antiquitt. t. III. pag. 220. Quod insuper ille alio loco addit, de avaritia iam vs. 47. sermonem esse, non impedit, quominus vs. 49. eius exercendae modum, eumque, qui saepenumero a Romanis scriptoribus perstringitur, statuamus. *Puteal* nimirum feneratorum sedes est. Papias: "Puteal locus in foro, ubi feneratores dabant et accipiebant pecuniam." Id quoque comprobat consensus et auctoritas locorum, ut Ovid. de remed. Amor. 561. *Qui Puteal Ianumque timet celeresque Kalendas.* Cic. pro Sextio 8. *puteali et feneratorum gregibus illatus atque perculsus.* Horat. Ep. I, 19, 8. *Forum putealque Libonis mandabo siccis.* Cf. Heindorf. ad Horat. Sat. II, 6, 35. Maximopere itaque placet, quod Orellius in hunc locum commentatus est. Fenori, inquit, substituit Puteal, ubi illud exercebatur; verbo *exercere*, agitare synonymum fere, uti simili figura usi *flagellare annonam*, *opes* dixerunt Plinius lib. 33, 57. et Martial. 2, 30, 4. in qua denique metaphora persistens *multa vibice* adiunxit pro *inique, acerbe, duriter fenori operam dare.* Nec praetereundum est vocabulo *cautus* alludi ad formulam iuris *cavere pecuniam*, de qua vid. Bentl. ad Horat. Ep. II, 1, 105.

Vs. 52. Citat hunc versum Petrus Blesensis epist. 107. Et ut in verbo Poetae epistola claudatur *tecum habita, et noris, quam sit tibi curta supellex.*

SATIRA V.

Vs. 4. *Vulnera seu Parthi* — i. e. bella, in quibus vulnera Parthis infliguntur. Additamento *ducentis ab inguine ferrum* significatur sagittarius s. sagittandi peritus, qui tela e pharetra promit ab humero usque ad pudenda dependente.

Vs. 9. *insulso Glyconi* — Scholiastes, cuius notae in codice Parisino scriptae inveniuntur, animadvertit ad hunc locum: "Hic Glicon tragoedus fuit Neronis temporibus, qui saepe scenam Thyestae suis inserebat tragoediis." Hinc *insulso* explicandum est.

V. 14. *Verba togae sequeris* — Hoc est, ut Britannicus explicat, non bella, non tragoedias scribis, sed materiam

quidem humilem, qualis est satira. Koenigius Persium in his sibi ipsum nimium tribuere existimat, cui quoque Censor Ienensis 1822. Octb. assentitur, laudem tamen, quam poeta sibi fingat, non toleraturus. Quare scribit *sequere* syllabamque *e* produci ait et caesura et ictu. Sed praeterquam quod contextus, siquidem antecedentia verba consideranda sunt, correctionem istam non admittit, non video, in qua re Persius nimium sibi tribuendo peccaverit. Ne ubique apud veteres eam desideremus modestiam, cui nostrae molles aures adsuetae sunt. Deinde, ut non commemoram, quod Cornutus h. l. Persium concinnae compositionis, rotundae et modicae orationis artificem appellat, laudis nihil verbis inest, quae non summo iure ad poetae satiras pertineat. — *Teris* auctoritate codd. suor. omnium, praeter cod. Colbert. I. sumsit Achaintrius pro *teres*, quod, ut sermonis concinnitas servetur, praeferendum censeo. *Terere verba* esset idem, quod tornare.

Vs. 19. *bullatis* — Hoc aptius, quam *pullatis*, quod Achaintrius, codd. suor. vestigia nimia cum cura premens, recepit, quodque librario vel scribendo erranti, vel doctrinam ostentanti originem debet. Respondet poeta Cornuto, recte ipsum habere, quod non putet, se turgida et inani oratione uti; se enim nolle coram vulgo loqui, sed cum praeceptore suo, quocum candide et sincere loquatur, cuique animum explorandum examinandumque tradat.

Vs. 25. *pictae tectoria linguae* — i. e. dolosa et simulata linguae fucatae et adulatricis oratio. Vid. Gesner. in thesaur. sub tect. *Plectoria*, quod Casaubonus in tribus antiquissimis, Achaintrius in novem codicibus invenit, vocem nihili nuncupat Orellius. Accedit Burmanni correctio *tinctoria*, in Antholog. lat. t. II. pag. 419. proposita. Tamen vulgata locum optime tenet, confirmata quoque Aurelii Augustini auctoritate, qui Persium h. l. imitatus videtur. "Hortor, inquit, ut litterarum vere certeque sanctarum studio te curam non pigeat impendere. Sincera enim et solida res est, nec fucatis eloquiis ambit ad animum, nec ullo linguae tectorio inane aliquid ac pendulum crepitat."

Vs. 26. *His* — Sic plurimi codd. Achaintrii, Cod. Wimariensis et Chemnicensis: alii *hinc* habent, quod h. l. nimis forte est. Passovius et Orellius cum Casaubono aliisque ex nonnullis libris mss. *hic* dederunt.

Vs. 31. *succinctis Laribus* — quod, Turnebo auctore, habitu peregrinantium (coluntur in viis, compitis) erant pellibus amicti, cum cane comite. Lares viales apud Plaut. Merc.

V, 2, 24. ut suspicor, Dii sunt, qui viae praesunt, ut sint θεοὶ ἐνόδιοι, quos invocare solent, qui peregre proficiscuntur, et ad viam se accingunt, quo etiam cognomento colebatur Mercurius. Add. Broukhus. ad Propert. 4, 3, 17. Vid. Gesn. lexicon.

Vs. 38. *App. int. extendit regula mores* — Alii *ostendit*; optimum est *extendit*, quia poeta iu metaphora permansit: quam quidem vocem Casaubonus graecis verbis τῷ κανόνι τὰ σκόλια ἀπευθύνειν egregie defendit.

Vs. 45 — 50. Heindorfius in margine edit. Bipontinae, cui ille notulas inter legendum adscripsit, haec adnotavit: Omnia fata hominis vetus superstitio putabat constitui eo sidere, quod eo momento, quo quisque nasceretur, surgeret; tum etiam eo, quod huic primario astro vel proximum vel vicinum esset (coniunctionem vocabant), vel differret ab eo sexta, quarta, tertia coeli parte, vel denique ei e regione oppositum esset. In planetis multum valebat, in quo signo Zodiaci tum versarentur; nam singulo suum signum attributum erat, in quo constitutus maximam vim haberet, ut Veneri Libra, Saturno Capricornus, Marti Scorpius. His omnibus inter se comparatis efficiebatur genesis, hora, genitura, sidus natalitium, cuius observatio horoscopus dicebatur.

Vs. 40. *Artificemque.* Casaubonus scribi malebat *artificisque.* Sed vide h. v. explicationem ap. C. Barthium ad Stat. lib. Achill. 832. pag. 1657.

Vs. 51. *Nescio quod, certe est, quod* — Non dubium est, quin haec recta sit lectio, quum *astrum*, quo pertinet *quod*, sequatur. *Nescio quid* quia notissima erat librariis formula, inde originem h. l. duxit.

Vs. 57. *Hic campo indulget* — i. e. campestribus exercitationibus. Achaintrius, sed male, si *indulget* et reliqua, quae adduntur negotia, respicimus, haec quoque verba de honoribus ambitione in campo Martio quaerendis, ubi comitia habebantur, intellexit, quamquam Horat. lib. III. od. I, 11. "hic generosior descendat in campum petitor" in suum usum adhibere potuisset.

Vs. 58. *In venerem putris* — Omisi *est* ante *putris* auctoritate nonnullorum codicum, quos Achaintrius consuluit, tum Wimariensis et Chemnicensis. Scholiastes in Parisino cod. sic adnotat. *In Venerem putris — sc. est, quod in aliis male additur.* Hinc eo facilius *putret*, quod Casaubonus et qui eum sequuti sunt, habent, in libros irrepere poterat.

Vs. 58. Affert haec verba Petrus Blesensis epist. 85: "Quidam toti sunt in gutture, merito gurgulionibus compa-

randi, quorum cogitatio tota de ventre, in ventre, et sub ventre est: quibus satisfieri omnino non potest, donec ventre despumante in Venerem delectatio gulae lumborum excitet voluptatem. Abiecta siquidem reverentia ex timore tremendi iudicii, relaxantur ad omnes illecebras, et in cunctis extraordinariis voluptatibus se volutant. *Sed quum lapidosa chiragra Fregerit articulos veteris ramalia fagi, Tum crassos transisse dies, lucemque palustrem, Et sibi iam seri vitam ingemuere relictam.* Ita convertetur dulcedo in amaritudinem, in asperitatem suavitas, delectatio in dolorem."

Vs. 63. *Es* ante *iuvenum*, ut inopportunum et inutile eiecit Achaintrius auctoritate codd. suorum. Abest quoque in Codd. Wimar. et Chemnicensi atque in plurimis antiquis editionibus.

Vs. 73. *non hac, ut quisque Velina* — Ita, ut Achaintrius ait, optimi et vetustissimi codices, etiam Wimariensis et Chemnicensis. Locum antea obscurum, ideoque varie tentatum Orellius eo, quod *quisque* per *quicunque*, *si quis* explicat, clara luce perfudit. Passovius: non *hac, quam, ut quisque, Velina Publius emeruit:* et Meisterus coniecit: *non hac qua — ut quisque Velina P. emeruit — scabiosum tesserulae far p.* Sed Orellio, vindici huius loci, ipsa varietas *quam, qua*, utrumque insititium esse persuasit.

Vs. 79. *Marcus Dama* — Hunc locum citat Politianus Observatt. et Emendatt. c. 31. et plura huc pertinentia animadvertit.

Vs. 82. *hoc nobis* — Casaubonus: ita omnes scripti, non *hanc.*" Parisinus Codex et Chemnicensis *hanc*, sed in illo supra scriptum est *hoc.* Passovius, ut Britannici editiones, *hanc* habet.

Vs. 84. *non sum — non sim* Passovius et Reizius, *non sum* antiquiores dant editiones et omnes Achaintrii codices, etsi is in versione gallica *non sim* recepit.

Vs. 87. *Haec reliqua accipio:* — Sic bene Achaintrius ex consensu omnium s. codicum; adspirant quoque alii, ut Wimariensis, Chemnicensis, Turicensis, libr. Britannici. In paucis tantum exstat *Hoc reliquum accipio:* quod etiam ex *haec reliqua* facilius, quam invicem hoc ex illo oriri potuisse cogitandum est. Posterius Casaubonus et Passovius sic interpunxerunt *Hoc — reliquum accipio —;* non aliter Orellius, *reliqua* tamen servavit. Sed sive *hoc reliquum*, sive *haec reliqua* scribas, verba ista separanda non esse, manifestum iam fit ex aperte corrupta lectione *licet illud et ut volo tolle*, quae tamen in plurimis, praeter tres apud Achaintrium, libris scr.

invenitur. Nimirum *illud* primo supra *licet* scriptum, ut antecedenti *Haec* responderet, ab altero in textum illatum est: quo modo quum rursus alius versum non constare animadverteret, particula *et* ante *ut* illata, *vivere* delevit. Ceterum non facile fieri potuit, ut Persius conclusionem adversarii refutans in verbis eius quidquam mutaret.

Vs. 90. *Masuri rubrica* — i. e. leges civiles. Ita leges significare, sicuti etiam per album, moris erat Romanis, apud quos eorum capita et tituli rubrica s. minio notabantur. Hinc Iuvenalis 14, 193. dixit *rubras maiorum leges*, Sidonius 6, 8. *peremtorias rubricas;* Prudentius adv. Symmach. 2, 461. *aut cur rubrica minetur, Quae prohibet peccare reos?* Vid. Schwarz. de ornam. librr. Qua de causa inopportuna est Meisteri h. l. subtilitas, quum dicit, Persium idcirco posuisse rubricas, ut hominem rusticum et incultum indicaret, cui in toto Masurii libro nihil tam placuisset, quam tituli et capita minio pulchre picta.

Vs. 92. Hunc versum citat Petrus Blesensis epist. III.

Vs. 118. *Quae supra dederam, repeto* — Petrus Pithoeus in thesauro crit. Gruteri t. II. p. 780.: "Ex veteribus libris recipiendum est *relego.* Cf. Horat. epod. 2, 69. Omnem relegit Idibus pecuniam, Quaerit Kalendis ponere." Sed ibi auctore Bentleio *redegit* nunc scriptum videmus, neque verbum istud h. l. quadrat.

Vs. 130. *quin tu impunitior exis* — Interrogatio cum *quin*, quod Passovius et cod. Parisinus habet, ab Achaintrio tamen neglectum est, acerbior et magis satirica est.

Vs. 134. — *En! quid agam? Rogitas? En saperdam! advehe P. castoreum*, — Ita recte Achaintrius, ut habent plerique eius codices, et Chemnicensis, nec non antiquiores editiones. *En saperdas*, quod in Wimariensi et quibusdam aliis invenitur, quodque metro adversatur, causa fuisse videtur, cur in nonnullis libris solum *saperdas* legeretur, sicuti idem Pithoei lectionem *En quid agam? Rogat? en saperdas advehe P.* procreaverit. Verum *En saperdam!* unice rectum esse tam codicum consensus, quam ipsius sententiae, quae inde oritur, ratio et gravitas mihi persuasit. Modo ne Achaintrii, et quae eadem est, Donneri expositionem "O hominem vilis pretii, hominem similem saperdae!" probemus. Saperda est, Archestrato auctore apud Athenaeum 3, 80. *κοντικὸν ὄψον*, merx etsi vilissima, non minus tamen, ac pretiosa, ab inexplebili avaritiae cupiditate appetita. Et quam belle hoc! quam apte Avaritiae, quod hominem ipsi deditum aegre excitat ad lucrum, eique quasi e longinquo saperdam, quae ipsum exspectet, ostendit. Neque obstat huic explica-

tioni, quod, uti monet Donneri versionis censor Ienensis, merces deinceps commemorantur, quae ex Ponto non advehebantur. Nempe castoreum inde Romam apportabatur, teste Virgilio Georg. I, 59. "*virosaque Pontus castorea mittit*, et Scribon. 175. *castoreum Ponticum*. Et quidni adv. *advehe Ponto* hanc solam inter reliquas referri liceat? — *En! quid agam?* ab initio item codd. plerisque munitum, quia eo vividior dialogi forma fit, non mutavi, quamquam *Et quid agam?* non minus placet. *En* i. e. da hin ich, ut ἰδοὺ nonnunquam ap. Aristophanem.

Vs. 137. *Eheu* — Orellius dedit *Heu! heu!* ex multis codicibus, alii *Eheu*, quod recepi. Nihil regula, ab illo allata, valet, *heu*, *heu* scribendum esse, ubi spondeus requiratur, *eheu*, ubi iambus. Vid. Drakenborch. ad Sil. Ital. lib. XI, 212. et quos ibi laudat.

Vs. 138. *Baro* — Pithoeus in Gruteri lampade critica vol. II. p. 752. "Impressi vulgo habent *Vare, regustatum*, sed rectius multi libri veteres: *Baro regustatum*. Scio vari vitium ad animum quoque transferri, cui non dissimili loquendi forma recto talo vivere idem dixit: sed quisquis Baronis nomen ei loco magis congruere non videt, is ipse, meo quidem iudicio, Baro est. In manuscripto autem libro adscripta est veteris Grammatici glossa haec: Baro vel Varo, id est, fatue, stulte, lingua Gallorum dicuntur Barones, servi militum, qui utique stultissimi sunt." In proximis recte Orellius contra Forcellinum monet, infinitivum *terebrare* non cum *perages*, sed cum *contentus*, cuius constructionis exempla apud recentiores haud rara sint, coniungendum esse. Idem iam Murmellius in ecphrasi: *si vis vivere ex deorum praeceptis, perages vitam in magna rerum egestate, contentus terebrare digito salinum iterumque gustatum.*

Vs. 140. *Iam pueris — aptas: Ocius ad navim:* Achaintrius ex suis libris scriptis *Iam puer is*, ut sit, iam servus avaritiae decedis, *pellem succinctus* accinctus ad iter suscipiendum, et *aptas*. — Sed ista lectionis diversitas eius aures oculosque lenius praetervehi poterat. Vid. Pith. in Gruteri lampad. Vol. II. p. 753. Quae Passovii et Orellii scriptura et interpunctio est, eandem in editione Feder. Ceruti Veron. 1597. cum hac paraphrasi invenimus: *Iam te accingis ad navigandum et accommodas sarcinis pueris, vidulum scorteum, et oenophorum: celeriter ad navem te confers.*

Vs. 150 *pergant avidos sudare deunces?* Quin hoc rectum sit, non dubium est. Alii *peragant avidos sudore deunces*, quod facilioris loci intelligentiae causa exortum videtur.

Vs. 159. *abripit* — Alii et quidem multi, *arripit* i. e. ad se rapit; cod. Parisinus, quem Achaintrius h. l. neglexit, et Chemnicensis *abrupit*, quo scriptura *abripit* stabilitur.

Vs. 172. *arcessor* — Sic cum Orellio ex nonnullis libris. Vid. Sat. II, 45. De formis *accerso* et *arcesso* vid. Voss. in Etymolog. Bentleius in Terentio ubique *adcerso* scribit.

Vs. 174. *exieras, nec nunc* — Hanc lectionem meliorem appellat Casaubonus, et recte. Sententia est: Tu non liber es, quem ego liberum dico: alias te nunc fortem et constantem praestares nec tam mobilis esses animo. Alterum si scribimus *exieris*, alia existit sententia, sed minus opportuna. Tunc libri nonnulli et editt. antiquiores, *exieris, nunc, nunc.*

Vs. 175. *in festuca* — Vid. de hoc loco plura apud Angelum Politianum in Observatt. et Emendatt. c. 98.

Vs. 183. *Cauda thynni* — Vid. Ioseph. Scalig. Coniectan. pag. 86.

Vs. 190. *Vulfenius* — Petrus Petitus in Miscell. observatt. p. 219. lampad. Gruter. *Calphurnius* scribit.

SATIRA VI.

Vs. 3. *veterum primordia vocum* — Quum de Caesio Basso poeta lyrico, et de eius carminibus nihil certi constet, nec certa potest esse h. verborum interpretatio. Difficultatem, quae verbis inest, iam veteres interpretes senserunt, ad quam quidem tollendam faciliorem invenerunt lectionem *primordia rerum*, ut ap. Cic. partitt. 7, et Lucret. I, 50. cui tamen recipiendae, monente Orellio, *veterum* adversatur. *Vocum* agnoscunt scholiastes, plerique codices Achaintrii, Chemnicensis, Wimar. et antiquae editiones. Haec tamen neque de carminibus, quae oratione soluta antiquiora sunt, neque de hymnis, quibus Divos et virtutem victorum in sacris certaminibus tollebant, neque de rebus etymologicis, quibus fabulae antiquae quam plurimae ubique ad illud argumentum exhilarandum intextae erant, intelligenda sunt. Posterius, siquidem poetam lyricum etymologum facimus, ineptum dixerim. Tria Bassi h. l. lyricae poeseos argumenta describuntur, virorum fortium encomia, iuvenum amores et honesti convivantium senum ioci, vel honestum otium. Vid. Horat. De arte poet. vs. 83—86. "Musa dedit fidibus divos puero › e deorum, Et pugilem victorem et equum certamine primum, Et iuvenum curas, et libera vina referre." Heroica tamen carmina non tam clare, quam reliqua, insigniuntur: adhibuit, ait Persius, veterum primordia vocum, i. e. ut quidam interpretantur,

"antiquas Sabinorum eorumque qui Latium coluerunt, voces", quae quum graves, durae et asperae essent, augebant pondus et fortitudinem heroicorum numerorum. Quare addit poeta *atque marem strepitum*, i. e. masculum et virilem cantum, quo virorum fortium facta praeclara celebrabantur. Vocula *atque* vim explicandi habet. Nimirum Caesius Bassus non solum egregius poeta erat, sed etiam, quantum ex veteribus coniici licet, linguae latinae literator; cognitionem habebat Latii dialectorum, easque singulas carminibus suis scite aptabat. Certe ea de causa potissimum mirus opifex a Persio dictus videtur, et cum Vossio, poeta eodemque linguae germanae peritissimo comparari potest.

Vs. 6. *Egregios* — Bentleius coniecit *egregius*, quod Passovio placebat. Sed, mutato *egregios*, desideratur aliquid, quo, quales senes illi fuerint, indicandum est.

Vs. 9. *est operae cognoscere* — Sic scripsi e codd. Wimariensi, Chemnicensi, Putean. et antiquis pluribus editionibus. Servari malui dictionem constantem, quam Achaintrii libros sequi. Vid. Horat. Sat. I, 2, 37. II, 4, 63. II, ep. 1, 229. Iuven. VI, 473. *Cognoscite* vocativi vicinitate ortum videtur.

Vs. 11. *Quintus* — Ridicule scholiastes Parisini cod. haec adnotat: Persius dixit *quintus* propter eam opinionem, quae dicit, animam Pythagorae in pavonem translatam, de pavone vero ad Euphorbium, de Euphorbio ad Homerum, de Homero vero ad Ennium, quod nomen eius cognomentum."

Vs. 11. *pavone* — Vid. plura in Scalig. Coniectan. p. 27.

Vs. 23. *rhombos* — Sex codd. Achaintrii et Chemnicensis *scombros*. Nullo tamen modo dubitandum, quin *rhombos* genuinum sit; Erat piscis magni pretii. Vid. Iuven. Sat. IV, 66. Horat. Sat. I, 2, 115, 116.

Vs. 24. *tenuem — turdarum — salivam* — Sic scribendum cum Orellio est. Etiam in codd. Wimar. et Chemnicensi est *turdarum. tenues — salivas*, quod Achaintrius ex decem codd. sumsit, exstat quoque in Cod. Chemnic.

Vs. 26. *Occa, et seges — En*, quod Achaintrius habet, in hac verborum coniunctione vix ferendum est.

Vs. 30. *Ingentes de puppe dei* — i. e. deorum tutelarium imagines in puppe collocatae. Παράσημα s. insignia in prora erant. Vid. Salmasium ad Solin. p. 403. Scheffer. de milit. naval. 3, 1. p. 172 sq. Gesner. in lexic. s. v. *tutel.* Quare inutilis est coniectura Koenigii *squalentes*, et censoris Heidelbergensis *lugentes*.

Vs. 39. *nostrum hoc maris expers* — i. e. ex mente Casauboni, quem plures sequuti sunt, molle et effeminatum, cui

non inest testiculi vena ulla paterni, ut ait I, 103. Cf. Gesner. in lexic. s. v. *expers*. Etiamsi genitivus *māris* a *mas* in hac compositione primo adspectu molestus videatur, propensioresque simus genitivum a *mare* statuere, tamen illa sententia, luxuriam et mollitiem a Graecis invectam esse in urbem eaque masculam veterum Romanorum virtutem exolevisse, pervulgata erat, ut nemo poetae verba aliter intelligere posset. Inprimis huc pertinet Iuvenal. Sat. XI, 78—81. ubi vilitas ciborum etiam temporibus mutata notatur: *Curius — Ipse focis brevibus ponebat oluscula, quae nunc Squalidus in magna fastidit compede fossor, Qui meminit, calidae sapiat quid vulva popinae.* Idem paullo inferius dicit vs. 100. *Tunc rudis et Graiae mirari nescius artes.* Cf. insuper Sat. VI, 286—300. Sat. XIV, 187 sq. Sat. III, 67—85. Masculae proli apud Horat. lib. III, 6, 37—48. opponitur quoque aetas nequior et progenies vitiosior. Orellii explicatio, qui Marcilio assentitur, et Meisteri, qui *sapere maris expers* interpretatur sapientiam cismarinam, quae nunc nostra facta est, egregie refutatur a Censore doctissimo Ienensi 1822 et 1823 n. 76 sqq. Apr. — *Vostrum* pr. *nostrum* ex coniectura dedit Bentleius ad Horat. ep. I, 15, 37. quod Reizius in textum recepit, sed *nostrum* est nostrae aetatis indoles.

Vs. 51. *Non adeo, inquis* — Haec est egregia Hadriani Turnebi emendatio, quam Orellius "neutiquam probibeo" interpretatur, cui tamen Censor eius Ienensis repugnat, dicens *non adeo* significare tantum *nicht-so sehr*. Utriusque sententiam minime laudaverim. *Non adeo* vertendum est *das nun eben nicht* s. res inter nos non eo redit, ut te prohibeam, quamquam non probem, tuas a te possessiones misere profundi. Haec apta moribus avari: etsi a Persio incitatus est, ut, quid de ea re sentiat, clare eloquatur, tamen id evitat, et ne, si quid duriusculi dicat, hereditatem amittat, timide respondet, ita tamen, ut sententia illa supplenda e verbis facile elici possit. Persius contra, qui eius ambages et diverticula orationis animadvertit, dicit magis cruciaturus avarum, fac sibi his impensis nihil superesse, nisi praediolum suburbanum, tamen heredem affuturum esse. *Adeo* similiter invenitur apud Terentium Andr. 2. 6, 7. Si. *Num illi molestae quippiam hae sunt nuptiae?* — Dav. *Nihil hercle: aut, si adeo; bidui est aut tridui Haec sollicitudo.* Vid. Gesner. lexic. Achaintrii explicatio, ex qua *adeo*, voce *hereditatem* suppleta, verbum sit, non magis approbabitur, quam omnium Codd. scriptura *non audeo*. Recte eam Casaubonus ex antecedenti *Quis vetat? aude!* exortam monet. Quod edit. Orellii Censor Ienen-

sis ex nonnullis antiquis codd. Gifanii in Collect. ad Lucret. proponit *Haud audĕo*, quodque idem ab Ascensio in edit. Lugdunens. an. 1510. notatur, inventum videtur ad versum aliquo modo fulciendum. Perinde est lectio Britannici *non ausim*.

Vs. 56. *Manius heres.* — Vid. Politianum c. 18. et Beroaldum in Gruteri lampad. crit. t. I.

Vs. 61. *Qui prior es, cur me* — Ioannes Baptista Pius in annotatt. c. 113. ap. Grut. lamp. crit. t. I. p. 514. haec animadvertit: Tu, qui inferior es et cui vitae lux florentis extincta est, cur inter currendum non solum mihi victoriam non concedis, sed me victorem et accensa lampade sequentem vis mutato ordine sequi? cum iam tu per crepusculum et tenebras aetatis tuae similis habeas facem exstinctam? ego vero vividiori aetatis lampade te sequor et vinco." Rectius tamen ii iudicant, qui *prior* non de cursu i. e. aetate intelligunt, sed de cognatione, ut sit, tu, quem natura propiorem mihi fecit, quam sit Manius, cur. Vid. Casaubon.

Vs. 66. *Stadius* — Alii Tadius; illud etiam Cod. Chemnicensis habet.

Vs. 73. *trama* — vid. Turnebi commentar. in Varron. de ling. lat. pag. 56. Ioseph. Scalig. Coniect. pag. 52.

Vs. 77. *pavisse* — Alii e codd. dederunt *plausisse*, h. e. contrectasse in coëmendo, ut Donnerus vertit *betatschen*, ad quem morem Seneca Controv. lib. I. alludit: "Nuda in litore stetit ad fastidium emtoris: omnes partes corporis et inspectae et contrectatae sunt." Praetulerim tamen *pavisse*, auctoritate Codd. duorum ap. Achaint., Turin., Wimariensis et Chemnicensis, faciliorem quidem lectionem, sed ut mihi videtur, specie tantum. Catasta erat machina lignea, in qua servi aut vendendi, aut ad vendendum parandi collocabantur. Hoc posterius intelligo: nutriebantur Cappadoces machinae inclusi, ut sese movere non possent, atque inde pingues fierent. *Pingues* igitur prolepsis est. Eius generis instrumentum respicit Martialis, quum lib. IX, 60. dicit: Quos arcana servant tabulata catasta.", ac similiter Raderus ad Martial. VI, 22. interpretatur longam compedis formam, servis venalitiis iniectam. — *Clausisse*, quod teste Achaintrio in undecim Codd. exstat, h. l. nihili est, et ex *plausisse* calami vitio profectum videtur.

Vs. 79. *redit in rugam* — i. q. redit in plicam, multiplicatur; itaque *decies redit in rugam* decuplicatur. Meisteri sententiam, ex qua *in rugam* sit *in sinum togae*, nullo pacto

probanda est. Rugae sunt plicae vestium eminentes, contra cavitates inter rugas sinus dicuntur. Vid. Forcellin. lexic.

Depunge — Sic quatuor Codd. apud Ach. et Wimariensis. Gesnerus in lexico s. h. v.: "Hoc verbum ex mss. Pithoei Persio reddidit Casaubonus pro vulg. *Depinge*. Videtur autem e literario ludo et Grammatistice assumtum esse verbum, ut idem sit, quod interpungere, finem assignare procurrenti orationi: quod facile probabunt, qui attendent, hic de termino ponendo voluptatibus sermonem esse, quem qui statuit, idem est *Inventor, Chrysippe, tui et finitor acervi*. Quod ad libram s. stateram recurrit Casaubonus, mihi quidem videbatur impeditius."

ubi sistam — Censor Ienensis *sistat* pro *sistam* scribens verba sic intelligi vult: *depunge, ubi sistat* sc. *avarus, tu, Chrysippe, inventus* (pr. invente) *tui acervi finitor*," quia finitor acervi non inventus et rogatio *depunge, ubi sistam* in ore avari inopportuna sit. Sed hoc ipsum, quod avarus rogaverat Persium, ut indicaret sibi certum suae cupiditatis finem, quo quodvis aliud facilius potest constitui, satis lepidum est. Quare respondet Persius Ecce, *Chrysippe, inventus est tui acervi finitor*: quae verba si verbotenus intelligas, habent sane, quod ineptum appellari queat. Quidni vero ironiam iis subesse putemus, ut aperta sententia haec sit: quemadmodum Chrysippus non potuit soritis finem invenire, ita etiam avari cupiditates immodicae nullo modo finiuntur. Porro si viri illius emendationem sequimur, dura est pronominis *tu* omissio, durus nominativus pro vocativo; offendimus deinde in ipsius verbi *inventus* significatione, denique in addito pronomine *tui*, quod ferri neutiquam potest. Cur etiam Chrysippus avaritiae terminum imponat, quum id, ut contextus docet, a Persio postulandum sit? Ceterum intellectu difficile est, quomodo *sistam* in *sistat* transierit.

VARIETAS LECTIONIS E PARISINO CODICE ENOTATA.

PROLOGUS.

	Ach.	*Cod.*
3.	Memini, ut repente sic poeta prodirem.	Memini me, ut repente sic poeta fierem.
4.	Heliconiadasque	Heliconidasque.
5.	remitto	relinquo.
9.	verba nostra	nostra verba
12.	refulserit.	refulgeat.
13.	poëtrias	poetridas.
14.	Pegaseïum	pegaseum.

SATIRA I.

Vs. 4.	Nae.	Nec.
8.	Romae quis non?	Romae est quis non?
10.	et.	ac.
18.	collueris	colluerit.
22.	escam.	aescas.
36.	Nunc non	Non nunc.
44.	fas est.	feci, ab altera manu *fas est.*
46.	rara avis est.	rara avis.
50.	Quid.	Quod.
55.	dicito.	dicite.
58.	pinsit.	pinxit.
60.	Nec linguae tantum — quantum.	Nec linguae quantum — tantum.
61.	Vos, o patricius.	O vas, patricius
61.	ius est.	fas est.
68.	nostro dat Musa poetae.	nostra dat Musa poetae.
74.	Cum trepida.	Quem trepida.
76.	Briseis — Acci.	Brisei — accii.
82.	exsultat.	exultet.
89.	Cantas, fracta cum te.	Cantas, cum fracta te.

Ach.	*Cod.*
93. Attin.	Attis.
105. Attin.	Atis.
114. Meiite.	Meite.
121. Mida rex habet.	quis non habet?
128. poscit.	poscit, ab altera manu *possit.*
130. Arreti	Arrecti.
131. abaco.	abaci.
131. in pulvere.	deest *in.*

SATIRA II.

18. namque.	nam et.
19. cuiquam.	cuinam.
21. tentas.	temptas.
35. macram	spe macra,. Ab altero *et* interpositum est. et supplice voto.
41. poscis.	poscit.
42. grandes patinae.	pingues patinae.
44. rem.	res.
45. Arcessis.	Arcessis, sed ab altero supra *r* littera *c* posita est.
48. Et tamen.	At tamen.
— farto.	ferto.
51. Nequicquam.	Ne quiquam.
52. craterras.	crateras.
— incusa.	incussa.
54. laetari.	letatur.
55. subiit.	subito, sed ab altero glossa *subiit* superscripta est.
— auro sacras.	sacras auro.
62. hos.	hoc.
69. sanctis.	sancto.
70. a virgine.	deest *a.*
75. ut admoveam.	ut moveas.
— litabo.	libato.

SATIRA III.

9. credas.	dicas.
10. bicolor positis.	positis bicolor.
12. et 14. queritur.	querimur, sed superscriptum est *queritur.*

Ach.	*Cod.*
13. Nigra quod infusa.	nigra sed infusa
16. at cur.	aut cur.
28. millesime.	millissime.
31. ad morem.	in morem.
40. Et magis.	aut magis.
45. morituro — Catoni.	morituri — Catonis.
46. Dicere.	discere.
— non sano.	insano.
48. summum.	summo.
53. illita.	inlita.
56. quae Samios.	qua Samius i. e. Pythagoras.
60. in quod.	in quo.
69. modus.	modŏs.
89. Exsuperat.	exuberat.
93. sibi — rogavit.	tibi — rogabis. Superscriptum est *sibi — rogabis.*
95. pellis.	puellis.
113. Tentemus.	Temptemus.

SATIRA IV.

1. hoc.	haec.
3. o magni.	hoc magni.
— pupille Pericli.	pericli pupille.
13. theta.	thaeta.
23. tentat.	temptat.
25. Vectidi.	Vetidii.
26. oberrat.	oberret.
31. farrata — olla.	farratam — ollam.
38. detonsis.	detonsus.
52. noris.	ut noris.

SATIRA V.

2. in carmina.	in carmine.
7. Helicone legunto.	legunto Elicone.
9. Glyconi.	Gliconi.
15. teris.	teres.
17. dicas.	dices.
26. His.	Hinc.

Ach.	*Cod.*
28. hoc.	haec.
37. tunc.	tum.
45. non equidem.	Nequidem.
51. quod (certe est), quod me.	quid certe est, quid me.
55. pallentis — cumini.	pallentes — cimini.
58. est putris.	*est* ab altero superscriptum.
75. quibus u. Quiritem.	quos u. Quirites.
82. hoc.	haec.
84. Cui licet, ut voluit.	Cui libet, ut libuit.
87. licet ut volo vivere tolle.	licet illud, et ut volo tolle.
89. liceat.	licuit.
90. Masuri.	mansuri.
97. facere id, quod.	facere quod — *id* superscriptum est.
103. exclamet.	exclamat.
109. Es modicus.	et modicus.
110. laxes.	laxas.
116. politus.	polita.
118. repeto.	relego.
123. tres.	tris.
124. sumis.	sentis.
130. qui tu.	quin tu.
133. Non queo.	Nequeo.
134. En. Quid agam? — En saperdam!	Et quid agam? en saperdas.
136. piper e sitiente.	piper et sitiente camelo.
142. nisi solers.	ni sollers.
159. arripit: attamen illi.	abrupit; tamen illi, sed ab altera manu adscriptum est *ast tamen*.
163. Abrodens.	adrodens.
170. arctos.	artos.
172. accersor.	accessor.
174. Nec nunc .... Hic, hic, quem quaerimus.	non nunc; hic hic quod quaerimus.
188. allit.	allii.
190. Vulfenius.	Vulfennius.

SATIRA VI.

17. lagena.	laguena.
20. Tingat olus.	Tinguat holus.
24. turdarum.	turdorum.

Ach.	*Cod.*
26. metuas.	metuis.
— occa: en seges.	occa, et seges.
34. negliget.	negleget.
46. captis.	victis.
51. Non adeo, inquis.	haud audeo, inquis.
63. Pingitur.	Pinguitur.
— Vin' tu.	vis tu, sed superscriptum *vintu*.
66. neu dicta.	nec dicta.
68. nunc, nunc impensius unge.	nunc, nunc iam pensius unge.
69. coquatur.	coquetur.
72. inguine.	unguine.
77. pavisse.	plausisse, sed superscriptum *pavisse*.

VARIETAS LECTIONIS E WIMAR. ET CHEMNIC. COD. ENOTATA.

P R O L O G U S.

Schrev.	*Cod. Wim. et Chemn.*
2. Parnasso.	Parnaso Chemn.
4. Heliconiadasque.	Helicpnidasque Wim.
8. χαῖρε.	chaere Wim. chere Chemn.
11. Venter, negatas.	Venter, et negatas Chem.
13. poëtridas.	poetricas Wim.
14. Pegaseium.	per pegaseum Wim. Pegaseum Chem.

SATIRA I.

4. Ne — Troiades.	— Troades Wim. Nec — Troades Chemn.
8. sed fas.	non fas Chemn.

Schr.	*Cod. Wim. et Chemn.*
10. et.	ac Wim. Chemn.
12. sum.	cum Wim.
16. sardonyche.	sardonyce Chemn.
18. conlueris.	coluerit Wim. colluerit Chemn.
21. scalpuntur ubi	scalpunt ubi Wim.
— intima.	Corte addit: *an leg. inguina.*
22. Tun'.	Tu Wim.
24. Quo didic.	Quid didic. Wim. et Chemn.
— fermentum.	Corte proponit frumentum.
30. pendes.	pendas Wim. et Chemn.
34. Phyllidas, Hypsipylas.	Phylidas, Hysiphylas Chemn.
— vatum et plorabile si quid.	Sic Priscianus VIII. at MS. Pitl Vanum et plorabile, si quis.
35. et.	ac Wim. Chemn.
37. imprimit.	imprimat Wim.
39. fortunataque favilla.	de fortunataque f. Chemn.
46. hoc.	haec Chemn.
50. habet — Atti.	habent Wim. habet — Acci Chemn.
51. elegidia.	eligidia Chemn.
58. pinsit.	pinxit Chemn.
60. tantae.	tantum Chemn.
61. ius.	fas in margine pro altera lectione i Wim. et Chemn.
63. quis enim?	quid enim? Wim.
66. dirigat.	dirragat Wim.
69. docemus.	videmus Wim. et Chemn.
72. Parilia.	Palilia Wim. et Chemn.
74. dictatorem.	dictaturam Chemn.
75. tua.	cui Wim. tui Chemn.
76. Accii.	Atti Wim. Acci Chemn.
87. hoc bellum?	bellum est Chemn.
89. cantas.	et cantas Wim.
93. versum — Atys.	— Attis Wim. versus — Chemn.
96. spumosum.	spinosum Chemn.
98. et laxa.	laxa Chemn.
— legendum.	— legendum est Chemn.
100. raptum.	sectum Wim.
102. Evion.	Euhyon Wim. Euchion Chemn.
— adsonat.	absonat Chemn.
103. pars ulla.	vena ulla Wim. et Chemn.

Schrev.	*Cod. Wim. et Chemn.*
104. summa delumbe.	summa et delumbe Wim.
105. Maenas, et.	Nena sed Chemn.
109. sonat.	sanat Chemn.
111. omnes, omnes.	omnes etenim Chemn.
118. Pinge.	Pingue Wim.
115. Muti.	multi Chemn.
117. admissus.	ammissus Wim.
124. Eupolidem.	Eupolidem Wim.
125. audis.	audes Wim.
126. Inde.	Unde Chemn.
129. Seque.	Sese Wim. et Chemn.

SATIRA II.

2. apponet.	apponit Wim. et Chemn.
8. Funde.	Fonde Chemn.
5. libavit.	libabit Chemn.
6. Haud cuivis.	Haud etiam cuivis Chemn.
9. o si.	et o si Wim.
13. namque.	nam et Wim. et Chemn.
14. conditur.	ducitur Wim. et Chemn.
19. cuinam? cuinam?	cuiquam? cuinam? Wim.
20. quis aptior.	quid aptior Chemn.
21. Hoc.	Haec Chemn.
22. Staio.	Satyio Chemn.
26. fibris.	fabris Wim.
89. nutrici non mando.	non mando nutrici Chemn.
42. grandes.	pingues Wim.
45. Arcessis.	Accersis Chemn.
46. pacto.	facto Wim.
47. in flammis.	in flamma Wim. et Chemn.
48. Et tamen.	Attamen Chemn.
49. crescit — crescit.	crescet — crescet Wim.
52. incusaque.	incussaque Wim. et Chemn.
53. laeto.	laevo Wim. et Chemn.
54. laetari praetrep.	et laetari pertrep. Wim.
65. Et.	Haec Wim. et Chemn.

Schrev.	*Cod. Wim. et Chemn.*
70. puppae.	pupae Wim.
73. ius — animo.	ius — animi Wim. rus — animo Chem
75. admoveant.	ut admoveam Wim. admoveam Chem
— litabo.	libato Wim.

SATIRA III.

2. extendit.	ostendit Wim. et Chemn.
9. credas.	dicas Wim.
10. bic. positis.	posit. bicolor Chemn.
12. Tunc.	Dum Wim. Tum Chemn.
— et 14. querimur.	queritur Chemn.
15. huccine.	hoccine Wim.
16. aut — columbo.	palumbo Wim. at — col. Chemn.
26. patella est.	patella Wim. et Chemn.
27. Hoc.	Haec Chemn.
29. Censoremne.	Censoremve Wim. et Chemn.
32. Sed — vitio	Si — vitium Chemn.
33. alto.	alte Wim.
34. rursus.	rursum Wim.
44. tingebam.	tangebam Wim. et Chemn.
45. morituro — Catoni.	morituri — Catonis Wim. et Chemn.
46. Dicere.	Discere Wim. et Chemn.
46. non sano.	et insano. Wim. et Chemn.
52. deprendere.	deprehendere Wim.
60. in quod.	in quo Wim. et Chemn.
62. pes.	spes Wim.
66. Discite o miseri, et.	Discite et o mis. caussas Wim.
— cognoscite.	cognóscere Chemn.
67. et quidnam.	aut quidnam Wim. et Chemn.
68. qua mollis.	quam móllis Chemn.
73. nec invideas.	neque invideas Wim. et Chemn.
74. penu.	peno Wim.
78. quod sapio satis est mihi.	quod satis est sapio mihi Wim. et Chen
80. figentes.	fingentes Chemn.
81. rodunt.	produnt MS. Pithoei.
84. nihilo nihilum	nihilo nihil Wim. et Chemn.
89. exsuperat.	exuberat Wim.
90. iussus.	iussus est.
93. Surrentina.	Syrrent. Wim. Sirent. Chemn.

Schrev.	*Cod. Wim. et Chemn.*
100. trientem.	triental ab altera manu in Wim.
105. in portam.	in porta Chemn.
106. Hesterni.	Externi Chemn.
110. algente.	algenti Chemn.
115. timor.	trimor Wim.

SATIRA IV.

1. haec.	hoc Chemnic.
9. illud.	istud Wim.
21. pannucea.	panucia Chemn.
25. Vectidi.	Vetidi Wim. et Chemn. Vettidis MS. Pith.
29. veterem	veteris Wim. et Chemn.
— deradere.	detrudere Chemn.
31. farrata — olla.	farratam Wim. et Chemn. ollam Chemn.
33. figas.	fricas Chemn.
34. prope te	prope Chemn.
35. lumbi.	lombi Wim.
36. Runcantem.	Runcantem, et pop. Wim.
— vulvas.	bullas Wim.
41. non.	Nec Chemn.
43. pacto: sic.	pacto: et sic. Chemn.
45. Praetegit.	Protegit. Wim. et Chemn.
49. multa cautus.	cautus multa Chemn.

SATIRA V.

vss. 3—6. in Codice Chemn. hac serie 5, 3, 4, 6 se excipiunt.

9. Fervebit.	Fervebat Wim.
15. radere.	rodere Chemn.
17. mensasque.	que deest in Wim.
18. plebeiasque.	que deest in Wim.
19. hoc — bullatis.	haec — pullatis. Chemn. In Wim. deest hic vs.
25. tectoria.	plectoria Wim. et Chemn.
26. ausint.	ausit Chemn. *Voces* pr. fauces MS. Pith.
36. supposui.	seposui Wim.

Schrev.	*Cod. Wim. et Chemn.*
37. tunc.	tum Wim. et Chem.
51. Nescio quod.	Nescio quid Chemn.
55. piper, et pall.	piper, pall. Chemn.
— cumini.	cymini Wim.
57. Hic — indulget.	Hi — indulgent. Wim.
58. putret.	putris Wim. et Chemn.
61. seri.	senio Wim.
63. Cultor enim es iuv.	Cultor enim iuven. Wim. et Chemn.
64. Cleanthea.	Cloanth. Chemn.
68. Iam cras.	Nam Wim.
69. ultra.	cras Chemn.
72. et in axe.	et axe Chemn.
77. et in tenui.	et tenui Wim.
78. Verterit.	Vertit Chemn.
82. hoc.	haec Chemn.
84. ut voluit.	ut libuit Chemn.
— non sim.	non sum Wim. et Chemn.
87. Hoc reliquum.	Haec reliqua Wim. et Chemn.
— illud, et ut volo.	istud Wim. *ut* ante *volo* omittit Chemn.
89. iussit quodcunque.	ius sit quaecunque Chemn.
90. Masuri.	mansura Wim.
92. Dum.	Cum Wim.
93. tenuia.	tenua MS. Pithoei.
95. aptaveris.	actaveris Chemn.
96. garrit.	gannit Wim.
97. facere id.	facere Chemn.
— vitiabit.	vitiavit Wim.
102. Navem.	Navim Wim.
103. exclamet.	exclamat Chemn.
105. speciem.	specimen Chemn.
107. forent.	ferent Chemn.
109. Et mod.	Es mod. Chemn.
111. fixum possis.	possis fixum Wim. et Chemn.
116. retines, — politus.	retinens Wim. polita Chemn.
117. servas.	servans Wim.
118. reduco.	repono Wim.
124. sumis.	sentis Chemn.
127. increpuit.	increpui Wim. et Chemn.
128. nec quicquam.	ne quicquam Chemn.
130. Nascantur.	Nascuntur Wim. et Chemn.
— quin.	quid Chemn.

Schrev.	*Cod. Wim. et Chemn.*
134. saperdas.	en saperdas Wim. en saperdam Chemn.
137. Heu.	heu Chemn. heuheu Wim.
138. Baro.	Varro Wim. Varo Chemn.
140. pellem.	pelle Wim.
142. nisi.	ni Chemn.
144. calido.	callido Chemn.
145. Intumuit.	Intimuit Chemn.
146. Tu mare.	Tun Wim. Tum Chemn.
148. laesum.	ledum Chemn.
149. quos hic.	*hic* deest in Chem.
150. peragant.	pergant Wim.
153. hoc, quod.	haec, quod Chemn.
157. Nec tu, cum.	Nec, cum tu Chemn.
159. arripit.	abrupit Chemn.
— attamen illi.	ast tamen illa Wim.
162. unguem.	in unguem Wim. et unguem Chemn.
163. Abradens — haec.	Arrodens — hoc. Wim.
168. Percute.	Percurre Wim.
169. solea.	si solea Chemn.
172. accersat.	accersor Wim. arcessor Chemn.
174. Exieras.	Exieris Wim. et Chemn.
— nec nunc.	nunc nunc Wim.
175. festuca.	festucam, Wim.
quam.	quem Wim. et Chemn.
176. tollit.	ducit Wim. et Chemn.
181. Dispositae.	Depositae Chemn.
185. Tunc.	Tum Wim. et Chemn.
186. Hinc.	Tum Wim. et Chemn.
190. Pulfenius.	Fulf. Chemn.

SATIRA VI.

3. rerum.	vocum Wim. et Chemn.
7. qua latus.	in qua latus Chemn.
9. est operae.	operae est Chemn.
10. Cor iubet Enni.	Cornibus haec Henni. Chemn.
— destertuit.	destertent Chemn.
15. orti.	horti Wim.
17. lagena.	laguoena Wim.
19. Solis natalibus	et solis natalibus Wim.

Schrev.	*Cod. Wim. et Chemn.*
20. Tingat.	Tinguat Wim.
— muria.	murina Chemn.
22. Grandia.	Prandia Chemn.
magnamínus.	magnanimis Chemn.
23. rhombos.	scombros Chemn.
24. tenuem s. turdarum — salivam.	tenues s. turdarum n. salivaã Chemn. turdorum - salivas MS. Pithoei.
26. metuas.	metuis Wim. metus Chemn.
27. Bruttia.	Brutica Wim.
28. Prendit.	Prehendit Wim. et Chemn.
35. inodora.	inhonora Wim. inodore Chemn.
37. Sed B.	Et B. Chemn.
39. Cum pipere.	Cum piper Chemn.
40. Foenisecae — vitiarunt.	Forinsecae — exuviae Chemn.
41. cinere.	carnem Chemn.
44. cladem — pubis.	Claude — puppis Chemn. laudem MS. Pithoei.
45. cinis: ac iam.	omnis accitum Chemn.
46. gausapa.	causapa Chemn.
47. Essedaque.	Essadaque Chemn.
Caesonia.	Vesonia Chemn.
51. Non adeo.	vid. Canter. 7, 20.
53. ex amitis — nulla	ex amicis — missa Chemn.
54. vixit.	iunxit Chemn.
55. Deque.	Detque Chemn.
58. adde.	ad se Wim.
59. iam filius.	iam ut filius Chemn. iam et fil. Wim.
60. exstat.	exit Wim. et Chemn.
66. Tadius.	Stadius Chemn.
— oppone paterna.	pone paterna Wim. et Chemn.
68. impensius unge.	iam pensius ungue Wim. et Chemn.
69. coquatur.	quoquetur Wim.
72. singultiet.	singultiat Chemn.
76. ne sit.	nec sit Wim.
77. plausisse.	pavisse Wim. et Chemn.
79. Depunge.	Depinge Chemn.



Ep 15.8.28
Oatirae sex,
Widener Library
006310948
3 2044 085 215 242